21

£200 Ceritenty

H

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S 45 H 26

Digitized by Google

8.45.H.26

Digitized by Google

Digitized by Goog

?.45.H.26

# EVNVCHI,

# NATI, FACTI,

# MYSTICI,

EX SACRA ET HVMANA LITERATVRA ILLVSTRATI.

## ZACHARIAS PASQVALIGVS PVERORVM EMASCVLATOR OB MVSICAM, QVO LOCO HABENDVS.

*RESPONSIO.*

*Ad quæſitum per Epiſtolam* I. HERIBERTI *Camelienſis.*

AD ILLVSTRISSIMVM ET AMPLISSIMVM D. D. PHILIBERTVM DE LA MARE SENATOREM DIVIONENSEM.

DIVIONE,
Apud PHILLIBERTVM CHAVANCE, Typographum, viâ Sancti Ioannis, ad inſigne pueri IESV.
M. DC. LV.
*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO

# D. D. PHILIBERTO DE LA MARE SENATORI Diuionenſi.

HÆREO quam in te perſonam adeam, SENATOR ILLVSTRISSIME. Obiiceris tu ſanè, vt magnæ Themidis Sacerdos, vt Palladis Myſtes, vt Nouantiquæ ſapientiæ Antiſtes, vt generoſo incocti honeſto pectoris heros, virque virtutum omnium. Quæ in te addenſantur vniuerſa; ſingula in aliis exquiſitè micarent. Sunt tamen omnia, & ſingula ad cauſam quæ vertitur, apprimè opportuna. Et quoniam ægrè diſcrenerim, cuiuſnam in rem meam prærogatiuæ tuæ, potiores ſint partes, ſimul omnes interpello.

LITEM intento generis noſtri hoſtibus,



Digitized by Google

ſaniis placidiſſimi animalis, diuinæ plaſticæ reconcinnatoribus, ad id malignè intentis, vt quaſi malè conſtitutum tam fabrè compactum corpus deformando melius componant, & Dei ſapientiam, (ſi fas eſt dicere) ſapere doceant. Cohorruere omnes ad audacem, imo & blaſphemam vocem homunculi, Regio titulo quem præferebat indigniſſimi *a* auſi iactare, ſi condendo mundo adhibitus à Deo in conſilium fuiſſet, futurum vt aliqua melius ordinatiuſque diſponerentur. Proh impietatem! exclamauit meritiſſimo grauis cenſor. *b Hodie natus rudis homuncio, docere vult antiquum dierum, cani & maturi capitis, qualiter debuiſſet operari, qui tunc operari cœpit, quando nullus noſtrum adeſſe potuit, vt ille operis normam oſtenderet, & digitis operantis in quamlibet partem duceret, aut reuocaret.* Ridiculos æquè ac deteſtandos, qui factori ſuo præſcriberent, & adeo indignè obgannirent, pronuntiabat Celſomaſtyx. *c* Haud ſecus in præſentia fas ſit concitari. Fecit Deus hominem vndecumque abſolutum, quem humana audacia, aptius concinnatura, & quaſi reformatura vult defectum, quodque Abelardo, Briconotio & aliis nocentiſſimis in pœnam grauiſſimam eſt irrogatum, innoxiis per ſummam atrocitatem infligendum decernit.

ADVERSVS hanc opinionis horriditatem, iudicium depoſco per quæſitorem cui nec error per imperitiam obrepere, nec munerum illecebra aut conſtantiæ labefactatio, læna eſſe ad præua-

a Referunt de *Alfonſo Caſtellæ Rege Rodericus Sanctius p. 4. c. 5 & Spina in Forsalitio l. 4. conſ. 9. bel. 13.*

b Rupert. de volunt. Dei c. 6.

c Orige. 2. contra Celſum.

ricandum poſſit ; quas iudicis optimi partes , in quo alio cumulatiùs deprehenderem, occurrit nemo SENATOR INTEGERRIME. Nam ſiue Iuſtitiæ cura , & animi in recto diſpiciendo perſpicacia quæritur , eum te forenſis fauor prædicat , qui probatiſſimo cuique iudici , vel ſi Minos aut Æacus fuat , de rectipede iudicio, & æqui tenacitate non concedas. Siue legum peritia ſpectatur iuris tu ſcrinium non minus quam ille tribunalium æuo ſuo Phoſphorus, audiueris ad veritatem. Nec iuris diſciplinæ finibus doctrinæ tuæ vbertas arctatur, Pentathlus es. Pectus tuũ quale Longini, *d Spirans Bibliotheca, Viuum Muſæum,* omnes mitiores iuxta ac ſeueriores diſciplinas concludens. Vnde illa cum expolitiſſimis Europa vniuerſa ingeniis amica conſuetudo & literaria neceſſitudo Ioſephum Mariam Suareſium Vaſionenſem Epiſcopum, Boyſſiæum Saluagnium , Gaſſendum, Sammarthanum , Allatium, Petitum, Gaffarellum, Heinſium , Guichenonum , Cheuaneum & alia viua ſapientiæ ſimulachra , Hercules Gallicus aurea peritiæ catena tibi illigaſti. Extra ordinem recenſendus eſt CASSIANVS A PVTEO Eques Illuſtriſſimus cuius auitæ Nobilitatis aurum, infulis ac purpura, & eximiis ſæculi titulis rutilantiſſimum, inoculat gemma humanitatis & elegantiæ morum, Hunc ergo extra ordinem pono, quod non vt de cæterorum erga te voluntate auritus , ſed oculatus teſtis confirmare liquido poſſim , quam ille ſibi gaudeat , cum homine quem tanti æſtimet, bene-

d Eunapius in Porphyrio.

uolum commercium iniuiſſe. E tuo itaque inſtru-ctu literario, magnis hiſce nominibus celebrato, promes tu in hanc diſceptationem noua & vetera. Produces è Philologica hoplotheca, è Philoſophico & Iatrico armamentario, è fauiſſa copioſa Manuſcriptor. Codicum, vnde confodiantur communis iniuriæ propugnatores. Quare eſt quod ab integritate iudicij tui & omnigena diſciplinarum paratura malè ſibi metuant, ſi dicaſten agere in hac diſceptatione non abnuas.

ET CAVSANTVR illi quidem nonnulla ſed leuicula, & vix digna contritu. Fuere quibus lanienam hanc lenem fecit ſpes gradus in aula ſummi, Eutropio, Ruffino, Calligeno, Chryſaphio, ac quibuſdam eiuſdem furfuris, per eas ſcandulas aditus. Quoſdam dementauit patens ad gynæcea oſtium, Leontium & huiuſmodi aliquas ſuillas animas ſecura libido *a* infatuauit, etiam momentum ad fluſtrum animo conciliandum, Origenis iuuenili temeritate in exemplum tracta producitur. Eſt *b* qui diuini cultus ſplendorem, & plebis gratam ad ſacros cœtus & Dei laudes illecebram, à mulcedine aurium diuturniore alleget. Vt ſemper artificioſa eſt malignitas. Audio perſtrepentia tympana & cymbala inter concremandas Molocho infantiles victimas, ne aſtantes infœlices parentes, triſtibus dulcium pignorum eiulatibus emolliti horrerēt ad pluſquam brutiam immanitatem. Sæuitiæ ſiparia ſunt quæ excuſantur, obtendicula crudelitati, honeſti ſpecie vtcumque obducta ad

*a* Hieronymus. l. 1. in Iouinia.

*b* Paſqualigus

Digitized by Google

faciendum fucum. Nimirum *c* nemo venenum temperat felle & elleboro, ſed conditis pulmentis & bene ſaporatis, ac plurimum dulcibus, id mali iniicit. Ita & veterator lethale quo conficit rebus Deo gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Aranearum itaque telas à fucata pietate, turpitudini ac ſæuitiæ prætentas diſiiciet ſolida religio & lenitas tua. Non feret dignitas propria & auita nobilitas qua colluces genus humanum, te diſceptatore ad eam deiici ignobilitatem qua vel ipſis Ethnicis authoribus *d* nulla eſt vilior, nulla probroſior. Sic Deum ſubducto iniuriæ eius opificio, ſic naturam noſtram eius integritati conſulens, ſic doctos & probos quoſque veri ac recti violationem ſapientia & autoritate tua profligando demereberis. *Vale*

c *Tertullian. de ſpectac. c. 16*

d *Ammian.*

*ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINI TVÆ*

*Deuinctiſsimus*
I. HERIBERTVS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
45 H
26

Digitized by Google

8.45.H.26

Digitized by Google

Digitized by Google

?.45.H.26

# EVNVCHI, NATI, FACTI, MYSTICI,

EX SACRA ET HVMANA LITERATVRA ILLVSTRATI.

ZACHARIAS PASQVALIGVS PVERORVM EMASCVLATOR OB MVSICAM, QVO LOCO HABENDVS.

RESPONSIO.

*Ad quæſitum per Epiſtolam* I. HERIBERTI *Camelienſis.*

AD ILLVSTRISSIMVM ET AMPLISSIMVM D. D. PHILIBERTVM DE LA MARE SENATOREM DIVIONENSEM.

DIVIONE,
Apud PHILIBERTVM CHAVANCE, Typographum, viâ Sancti Ioannis, ad inſigne pueri IESV.
M. DC. LV.
*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO

# D. D. PHILIBERTO DELAMARE SENATORI Diuionenſi.

HÆREO quam in te perſonam adeam, SENATOR ILLVSTRISSIME. Obiiceris tu ſanè, vt magnæ Themidis Sacerdos, vt Palladis Myſtes, vt Nouantiquæ ſapientiæ Antiſtes, vt generoſo incocti honeſto pectoris heros, virque virtutum omnium. Quæ in te addenſantur vniuerſa; ſingula in aliis exquiſitè micarent. Sunt tamen omnia, & ſingula ad cauſam quæ vertitur, apprimè opportuna. Et quoniam ægrè diſcreuerim, cuiuſnam in rem meam prærogatiuæ tuæ, potiores ſint partes, ſimul omnes interpello.

LITEM intento generis noſtri hoſtibus,



Digitized by Google

ſaniis placidiſſimi animalis, diuinæ plaſticæ reconcinnatoribus, ad id malignè intentis, vt quaſi malè conſtitutum tam fabrè compactum corpus deformando melius componant, & Dei ſapientiam, (ſi fas eſt dicere) ſapere doceant. Cohorruere omnes ad audacem, imo & blaſphemam vocem homunculi, Regio titulo quem præferebat indigniſſimi *a* auſi iactare, ſi condendo mundo adhibitus à Deo in conſilium fuiſſet, futurum vt aliqua melius ordinatiuſque diſponerentur. Proh impietatem! exclamauit meritiſſimo grauis cenſor. *b Hodie natus rudis homuncio, docere vult antiquum dierum, cani & maturi capitis, qualiter debuiſſet operari, qui tunc operari cœpit, quando nullus noſtrum adeſſe potuit, vt ille operis normam oſtenderet, & digitis operantis in quamlibet partem duceret, aut reuocaret.* Ridiculos æquè ac deteſtandos, qui factori ſuo præſcriberent, & adeo indignè obgannirent, pronuntiabat Celſomaſtyx. *c* Haud ſecus in præſentia fas ſit concitari. Fecit Deus hominem vndecumque abſolutum, quem humana audacia, aptius concinnatura, & quaſi reformatura vult defectum, quodque Abelardo, Bricomotio & aliis nocentiſſimis in pœnam grauiſſimam eſt irrogatum, innoxiis per ſummam atrocitatem infligendum decernit.

ADVERSVS hanc opinionis horriditatem, iudicium depoſco per quæſitorem cui nec error per imperitiam obrepere, nec munerum illecebra aut conſtantiæ labefactatio, læna eſſe ad præua-

*a Referunt de Alfonſo Caſtellæ Rege Rodericus Sanctius p. 4. c. 5 & Spina in Fortalitio l. 4. conſ. 9. bel. 13.*

*b Rupert. de volunt. Dei c. 6.*

*c Orige. 2. contra Celſum.*

ricandum poſſit; quas iudicis optimi partes, in quo alio cumulatiùs deprehenderem, occurrit nemo SENATOR INTEGERRIME. Nam ſiue Iuſtitiæ cura, & animi in recto diſpiciendo perſpicacia quæritur, eum te forenſis fauor prædicat, qui probatiſſimo cuique iudici, vel ſi Minos aut Æacus fuat, de rectipede iudicio, & æqui tenacitate non concedas. Siue legum peritia ſpectatur iuris tu ſcrinium non minus quam ille tribunalium æuo ſuo Phoſphorus, audiueris ad veritatem. Nec iuris diſciplinæ finibus doctrinæ tuæ vbertas arctatur, Pentathlus es. Pectus tuũ quale Longini, *d Spirans Bibliotheca, Viuum Muſæum*; omnes mitiores iuxta ac ſeueriores diſciplinas concludens. Vnde illa cum expolitiſſimis Europa vniuerſa ingeniis amica conſuetudo & literaria neceſſitudo Ioſephum Mariam Suareſium Vaſionenſem Epiſcopum, Boyſſiæum Saluagnium, Gaſſendum, Sammarthanum, Allatium, Petitum, Gaffarellum, Heinſium, Guichenonum, Cheuaneum & alia viua ſapientiæ ſimulachra, Hercules Gallicus aurea peritiæ catena tibi illigaſti. Extra ordinem recenſendus eſt CASSIANVS A PVTEO Eques Illuſtriſſimus cuius auitæ Nobilitatis aurum, infulis ac purpura, & eximiis ſæculi titulis rutilantiſſimum, inoculat gemma humanitatis & elegantiæ morum, Hunc ergo extra ordinem pono, quod non vt de cæterorum erga te voluntate auritus, ſed oculatus teſtis confirmare liquido poſſim, quam ille ſibi gaudeat, cum homine quem tanti æſtimet, bene-

d Eunapius in Porphyrio.

Digitized by Google

uolum commercium iniuiſſe. E tuo itaque inſtru-ctu literario, magnis hiſce nominibus celebrato, promes tu in hanc diſceptationem noua & vetera. Produces è Philologica hoplotheca, è Philoſophico & Iatrico armamentario, è fauiſſa copioſa Manuſcriptor. Codicum, vnde confodiantur communis iniuriæ propugnatores. Quare eſt quod ab integritate iudicij tui & omnigena diſciplinarum paratura malè ſibi metuant, ſi dicaſten agere in hac diſceptatione non abnuas.

ET CAVSANTVR illi quidem nonnulla ſed leuicula, & vix digna contritu. Fuere quibus lanienam hanc lenem fecit ſpes gradus in aula ſummi, Eutropio, Ruffino, Calligeno, Chryſaphio, ac quibuſdam eiuſdem furfuris, per eas ſcandulas aditus. Quoſdam dementauit patens ad gynæcea oſtium, Leontium & huiuſmodi aliquas ſuillas animas ſecura libido *a* infatuauit, etiam momentum ad fluſtrum animo conciliandum, Origenis iuuenili temeritate in exemplum tracta producitur. Eſt *b* qui diuini cultus ſplendorem, & plebis gratam ad ſacros cœtus & Dei laudes illecebram, à mulcedine aurium diuturniore alleget. Vt ſemper artificioſa eſt malignitas. Audio perſtrepentia tympana & cymbala inter concremandas Molocho infantiles victimas, ne aſtantes infœlices parentes, triſtibus dulcium pignorum eiulatibus emolliti horrerēt ad pluſquam brutiam immanitatem. Sæuitiæ ſiparia ſunt quæ excuſantur, obtendicula crudelitati, honeſti ſpecie vtcumque obducta ad

*a Hieronimus. l. 1. in Iouinia.*

*b Paſqualigus*

faciendum fucum. Nimirum *c* nemo venenum temperat felle & elleboro, ſed conditis pulmentis & bene ſaporatis, ac plurimum dulcibus, id mali iniicit. Ita & veterator lethale quo conficit rebus Deo gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Aranearum itaque telas à fucata pietate, turpitudini ac ſæuitiæ prætentas diſiiciet ſolida religio & lenitas tua. Non feret dignitas propria & auita nobilitas qua colluces genus humanum, te diſceptatore ad eam deiici ignobilitatem qua vel ipſis Ethnicis authoribus *d* nulla eſt vilior, nulla probroſior. Sic Deum ſubducto iniuriæ eius opificio, ſic naturam noſtram eius integritati conſulens, ſic doctos & probos quoſque veri ac recti violationem ſapientia & autoritate tua profligando demereberis. *Vale*

c *Tertullian. de ſpectac. c. 16*

d *Ammian.*

*ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINI TVÆ*

*Deuinctiſſimus*
I. HERIBERTVS.

Digitized by Google

# ARGVMENTVM.

FÆdum prima facie & ominoſum argumentum de gente pleriſque turpi & refugienda verſaturus, verendum mihi videor, ne quæ manus volumen Lælij Biſciolæ ob inſertam de hoc negotio diſputationem vnico capite comprehenſam, Eunuchum fecit, vniuerſam iſtam tractationem, quippè totam in eodem negotio verſantem, non tam exſecet, quàm iugulet acperditam velit. Prætendit tamen validum vmbonem aduersùs hoſtilem ictum, S. Baſilius, ſub finem operis de vera virginitate, vbi copiosè diſſerit de Eunuchis; non myſticis modò, ſed etiam corporeis: & quidem agens cum ipſis ſacris virginibus; cauſatus neceſſitatem ex illius æui vſu petitam: que tametſi nunc minùs vrget, non eſt tamen prorsùs obliterata. Et non diſſimilis ratio peti poteſt, ex inducto nunc, & in dies confirmatiore ratione, idipſum alia ex cauſa præſtandi. Erant nimirùm ætate S. Baſilij, quibus abſciſſio, ad repreſſionem incentiuorum corporeæ cupiditatis vſurpabatur: Erant, quibus ſpes commodorum, & illuſtrium munerum ea via capeſſendorum, fiebat ad ſubeundam imminutionem illecebra. Non deeſſe hac quoque tempeſtate, quibus ſperata reſtinctio ignis interni, hunc dolorem leniuerit, ſignatis exemplis teſtatum feci in meo Prato ſpirituali num. 98. Et poſſum etiam viciniora proferre. Qui verò commoda temporalia, & ſortem bonam hac via aucupentur, non eſt cur capitatim appendantur, cum ſint in Italia planè multi; nec abſque ſuffragatione peritorum, à quibus admiſſa in eum finem exſectio, vulgatis quoque ſcriptionibus, labis pura præſtatur. Itaque rationes quæ D. Baſilio, venia dignam in adiunctis longè inuidioſioribus diſputationem de hoc negotio facere ſunt viſæ; nunc quoque locum habent: nec

modò venia dignum, ſed etiam commendabile hoc conſilium facere videri debent.

2. Accedit eiuſdem tractationis vſus non modicus, ſiuè ad ſcripturæ ſacræ, & Canonum ac legum Ciuilium intelligentiam, ſiuè ad expediendos pleroſque non parum implexos conſcientiæ nodos. Nam in ſcripturis quidem, frequens eſt Eunuchorum, ac ſpadonum mentio, quæ minùs iſta ſcrutatis, poſſit negotium faceſſere. Videſis Geneſis 37. 39. 40. Leuit. 22. Deuter. 23. 1. Reg. 8. 3. Reg. 22. 4. Reg. 8. 9. 20. Eſther 4. Sap. 3. Eccleſiaſtici 20 & 30. Iſaiæ 56. Dan. 1. Sæpè alibi: ſed nominatim Matthæi 19. v. 12. vbi Chriſtus diſtinctè ac ſigillatim, modos Eunuchiſmi omnes enumerat, cuius loci acuratam & plenam expoſitionem, hac lucubratione recipio. Ad ſacrorum verò Canonum & humanarum legum non paucarum inferiùs proferendam cognitionem perfectam, conducibilem fore hanc diſcuſſionem, me tacente res loquitur; & ex denſis commentarijs ad titulum de frigidis & malefic. nec non ex iuſtis tractationibus Marcelli, Francolini, & aliorum *de Matrimonio ſpadonum* intelligere licet.

3. Dicamus ergò, ſobriè quidem ac parcè pauca exhibentes, præijs quæ vbertas argumenti ſuppeditare poſſet; ſed tamen dicamus, quæ ad rem propoſitam neceſſaria, & Lectori vtilia videbuntur: in primis inquirentes in Chriſti ſcopum atque doctrinam in propoſito Matthæi loco; vt inædificatas ei oraculo ab improuidis corruptelas, diſiectas demus, & veritas eluceſcat. Inde ad bona & mala, cum naturalia, tum moralia, cuiuſuis Eunuchiſmi typo expoſiti, progreſſus fiet. Sed ante omnia vocum rationes ſunt proponendæ: quandoquidem, vt ex Socratè ſtatuit Epictetus apud Arrianum l. 1. c. 17. *Principium eruditionis eſt, intelligentia vocabulorum.* Idquod Ruffus Epheſius initio libri de partibus humani corporis, concinnè tradit.

## PROLVSIO.

*Eunuchi, Spadonis, Execti, Ectomiæ, Caſtrati, Thlibiæ, Thlaſiæ, Euirati*, vocabula enucleata.

Digitized by Google

1. *Eunuchum* eſſe nomen generale, ſub quo variæ ſpecies alijs vocibus deſignatæ contineantur, notauit Pancirolus in Theſauro iuris l. 2. c. 275. ex Theophilo I.C. & Balſamone ad can. 24. Apoſtol. & idem traditur lib. 19. Baſilicῶν, ex l. 33. tit. 1. c. 52. vbi ſub hoc nomine, tres ſpecies ſecernuntur. Itaque ab *Eunuchi* nomine auſpicandum eſt.
Nomen *Eunuchi* æquiuocum eſſe in ſacris litteris, obſeruauit Caietanus in c. 37. Geneſ. faſſus neſcire ſe, vnde ea æquiuocatio manarit. Hoc tamen non eſt huic voci peculiare, cum ſint pleraque vocabula, vt Iſidorus l. 1. orig. c. 6. vocauit, *vninomina*; quibus ſubſtrata eſt multiplex notio, vndè æquiuocatio exiſtit; nec ſæpè reddi poſſit ratio ſubiectæ vni voci multiplicis notionis V. G. nomen *deſponſata*, aliquandò addicendam viro in futurum deſignat, poſitis nunc ſolis ad contractum veluti præludijs: aliàs autem ſonat verè coniugatam, inito reipſa contractu coniugali, ſecluſo tantùm corporum cõmercio & contractus vſu: vt cum B. Virgo, dicitur Ioſepho deſponſata; quod vt ad verum coniugium pertinere intelligeretur, adhibuere interdum Lucas & Matthæus, *vxoris* & *coniugis* vocabula. Eadem Deipara, aliquandò *mulier* dicta legitur: quamuis ea vox alibi, non ſimpliciter ſexum, vt cum Deiparæ tribuitur: ſed viro commixtam deſignet, quam homonymiam Tertullianus l. de vel. Virg. c. 4. & 5. Hieronymus in c. 4. ad Galatas, & alij retexerunt. Idem eſt de alijs pleriſque vocibus, quæ multiplici fætæ notione, obſcuritatem non rarò offundunt tractationi, tametſi lateat, vnde contigerit ea vnius vocis ſubſtractio, ad tam varia ſignificata. *Eunuchi* ergò vocem, Lippomanus in Catena ad caput Geneſeos 37. obſeruat variè varijs locis ſonare in ſcriptura; & nunc *mutilum*, aut *defectum*, nunc *miniſtrum*, vel *muneris alicuius curatorem* deſignare.

2. Dimiſſis autem in præſentia, ijs Eunuchis, qui à miniſterio denominantur; eorum qui à defectu *Eunuchi* appellantur, notio apud autores eſt admodùm ambigua, vt latè proſequuntur Nancelius in Microcoſmi analogia l. 7. c. x. problem. 6. Alciatus ad l. *Spadones* ff. de verbor. ſignif. Couarru.



Digitized by Google

Tract. de frigid. & malefic. q. 6. & latiſſimè Paulus Zacchias in qq. Medicoleg. l. 2. tit. 3. q. 7. Mihi notio illa huius vocabuli, quam præbet in *Eunucho* Lucianus, videtur communi ſenſui congruentior: vt ſcilicet *Eunuchus* dicatur, qui ex matris vtero defectus eſt, vel à primo ortu: ſiuè admodùm puer artis interuentu ſit mutilatus, vnde virilè quippiam nunquam eſt expertus; quod poteſt ſpadoni contigiſſe, ob tardam exectionem. Cumqua vocis notione, benè congruit ethymologia vocis *Eunuchus* quam plerique deducunt ab εὐνη, quod nomen ſonat *cubile* & verbo ἔχω, quod apud Heſiodum ſignificat *cuſtodire*, vt idem ſit *Eunuchus*, quod *lecticuſtos*; quia olim diuitum matronarum ac puellarum pudicitia, eorum fidei cuſtodienda credebatur, idcircò quod nihil periculi à perſonis ſic conſtitutis impendere videretur. Nec minùs congruet ethymologia, quam S. Epiphanius hæreſ. 58. ſubminiſtrat, deriuans *Eunuchi* vocem, ἀπὸ, τ͂, εὐνοεῖν, hoc eſt, (inquit) *beneuolam ac fidelem eſſe*; quod ei facilè eſt, quem deficit quo fidem frangat, & iniuriam inferat. Phauorinus & ei inhærens Scaliger exerc. 277. n. 3. vocem *Eunuchi* deducunt ab eo quod eſt εὐνοῦν ἔχειν, *bonam habere mentem*, eo quod mens Eunuchi non obnubiletur per corpoream vliginem: vt ijs poteſt contingere qui & vſquequaque membris integri, & complexione corporis idonea poſſunt à commercio corporeo non abhorrere. Vox enim *Eunuchi*, in vſu communi elongationem à mentis offucijs inde oriundis præſe fert; vſque adeò, vt lactuca quoque, quod frigiditate ſua reſtinguat ignem internum, fumos illos & offucias ſubuehentem, à Pythagoræis, & apud Plinium lib. 19. c. 8. dicta ſit εὐνοῦχος, & Phaona ab amante Cytheræa inter lactucas abſconditum finxerit Cratinus, ibidemque occultatum Adonim, cecinerit eadem allegorica ſignificatione Callimachus; eúmque eſſe *cibum mortuorum*, ob retuſum vitæ vigorem, & hebetatum calorem, dixerit Eubulus.

3. *Spado*, quomodò iuxta Lucianum, ad Eunuchum comparetur paulò ante attigi. Ioannes Brunellus tract. de ſponſal. concl. 28. ex Aſtenſi l. 8. tit. 28. à *Spatha* amputante, id nomen

Digitized by Google

deriuat. Sed eſt ridicula notatio, cum σπάδων, vox Græca ſit, non Latina, & Vlpianus quidem, adductus l. *Spadones* ff. de verb. ſignif. *Spadonem* ait eſſe nomen generale, omnes planè ſiue natura, ſiue arte defectos comprehendens. Alibi tamen reſtringit nomen *Spadonis*; & exciſo ac planè Eunucho contradiſtinguit, vt ex eo refertur l. *ſed eſt quæſitum* ff. *de liber. & poſthum.* Ait enim; [ Spadonem poſſe poſthumum hæredem ſcribere, & Labeo, & Caſſius ſcribunt, quoniam nec ætas, nec ſterilitas, ei rei impedimento eſt. ] Idem de adrogatione per ſpadonem ſtatuitur l. *adrogatus* ff. *de adoptionibus.* Liquet, ſpadonem ijs locis ſumi pro eo qui pater eſſe queat. Et idcircò Gloſſa ibi, contendit *Spadonem* ſumi pro eo quem alter duntaxat didymorum deficiat. Cui expoſitioni inhærent multi apud Sanchem l. 7. de Matrim. diſp. 92. n. 14. Tales enim patres eſſe, reipſa poſſunt, vt rectè confirmat Nancelius probl. illo 6. & Cottereus l. 1. de iure milit. c. 13. At alji *Spadonem* ibi, dici cenſent impeditum obice non niſi temporario, quo minùs pater eſſe poſſit, iuxta notionem ſpadonis, traditam lib. 33. Baſilicῶν, titulo 1. c. 52. & repetitur. l. 19. pag. 193. Ita Socinus ad illam l. *ſed eſt quæſitum.* Anto. Aug. l. 3. emend. iuris c. 5. & Magius 2. miſcell. c. 5. nec videtur ab ea *Spadonis* notione, abhorrere Plinius l. XI. cap. 49. *Eunuchum* autem ſimpliciter dictum, quod non præpediatur ſolo impedimento temporario & humana arte ſanabili, quominus eſſe pater reipſa queat, vetant iura fieri patrem imaginarium: id eſt, ius adoptandi habere, quod ijs tantùm conceditur, qui reipſa poſſent patres fieri, ſimpliciter loquendo: ſunt qui velint Sapientiæ 3. *Spadonem* eum appellari, qui in vero coniugio non ſuſcipit liberos. Ibi enim celebrari videtur, is qui nullis coniugij initi fructibus gaudens, eam orbitatem præ Dei timore fecit patienter, non tranſgrediens cubile legitimum, amore ſuſcipiendæ prolis. Ita exiſtimat Chriſtophorus à Caſtro in illud caput 3. Nec poteſt negari, quin vox *Spadonis* ſæpè eum notet, qui pater eſſe reipſa nequeat, vt Eccleſiaſtici 20. & 30. Indéque eſt, quod in re plantaria, ſurculus qui nihil attulerit, *Spado* dicitur, vt videre eſt apud Columellam

l. 3. c. x. Tamen ſi ea ſterilitas in homine, oriatur tantùm ab impedimento accidentario, quod auferri poſſe ſperetur, licet reipſa nunquam ſit tollendum, habebitur inde, quomodò *Spado* ab *Eunucho*, & alijs de quibus poſtea, ſecerni poſſit. Eáque ratione, *Spadonem* accepiſſe videtur Suidas V. σπάδων, & Conſtantinus Harmenopulus l. 2. cap. περὶ νοθείας, Si conſulatur vox Græca σπάω, à qua ductum eſt nomen *Spadonis*, vix erit, vnde *Spado* ſecernatur ab *excecto* vel *ectomia* ſecundùm quid dicto, de quo mox; cui ſcilicet ſoli cremaſteres, ſiue nerui, vnde *didymi* pendent, ſunt auulſi. Vnde dici *Spadones*, affirmat Budæus infra adducendus. Et rectè, ſpectato vocis cortice. Nam σπάω, idem eſt, quod *auulſionem facio*; vtique interuentu ſectionis. Quanquam eſt etiam alia notio verbi σπάω, quia idem ſonat quod *traho*: iuxta quam notionem νευροσπάσται, apud Gellium l. 4. c. 1. & Ludouicum Cælium l. 4. c. 6. ac Muretum annotationibus in Horatium, appellantur machinulæ neruis ſubtiliter attractæ; ita vt videantur automata. Et eo ipſo ſenſu, machina ab Archimede excogitata, ad naues trahendas; appellata eſt *Polyſpaſtus*, quaſi *multitrabam* diceres, vt diligenter enucleat Magius lib. 2. Miſcell. c. 10. Per attractionem igitur, obtorquentem neruos ad emiſſionem materiæ prolificæ neceſſarios, non dubium quin impediri quis poſſit ne pater fiat: atque adeò poteſt inde accidere, vt ſpado euadat. Hanc verò eſſe perplexitatem neruorum Behemoti de qua Iobi 40. Interpretes ibi, non admittunt. Sed eſſe veram ſpadonis notionem quæ ex ea viri implexitate petitur, tradit Zacutus l. 3. de Medic. princ. hiſtor. in 18. q. 32.

4. *Exectus*, ſiuè *abſciſſus*, idem quod Græce ἐκτόμιας, is videlicet, cui virilitas ferro, aut ſamia, alióue ſpeciem cultri habente reciſa eſt, ſiuè ſimpliciter, ſiuè ſecundùm quid. Mentio eſt vtriuſque huius reciſionis Deuter. 32. Quæ ſecundùm quid eſt exectio, continetur reciſione didymorum. Quæ verò ſimpliciter exectio denominatur, omnia planè, quibus mas conſtituitur, demetit, vt Horatius loquitur; Eamque abſciſſionem, ſpurcus damnationis Chriſtianorum

Digitized by Google

dedicator, executus eſt, moliens, Sporum, (vt cum Varrone dicam) mulierare ad propudioſum vſum. Aſiani hodiéque & Turcæ, ad plenam ſecuritatem gynecæorum quæ iſtiuſmodi truncatis credunt, eandem adhibent, vt Scaliger notauit exercit. 277. num. 3. ac Muretus l. 10. var. lect. c. xı. Hos propriè dici *Eunuchos* atque *caſtratos*, affirmat Brodæus 4. Miſcell. c. 21. & annuit Pancirolus l. 2. theſauri iuris c. 275. Sed vſus paſſim receptus, eas voces alio deflexit. Apud Luitprandum lib. 6. cap. 3. quos ſimpliciter exectos diximus, vocantur *Carſamatij*, & in quanto eſſent pretio refertur.

5. *Caſtratus* in vulgato diſticho quod adducit Alciatus ad l. *Spadones* ff. *de verb. ſignific.* ſonat *Eunuchum natum*. Verùm paſſim, videre eſt apud Mercurialem l. de morbis mulier. c. 1. & Zacutum lib. 3. de Medic. princ. hiſtor. q. 32. ea vox ad omnem violentam virilitatis defectionem diffunditur, ita vt *Thlibiæ* quoque, & *Thlaſiæ*, eo nomine veniant. Ita rectè eas voces reſtituit Ioannes Caſtronus in lege prædicta; in qua priùs corruptè legebatur *Tilibiæ*, & *Talaſiæ*. Quanquam hos, ab alijs *Thladias* quoque appellari, admonet Budæus ad eandem legem. Et ita habet Ægineta lib. 6. declarans modum, quo perficiuntur eæ maſculi mutilationes, de quibus infra. Vox ergo *caſtrati*, omnes iſtas hominis per artem minutiones comprehendit; quas vt fama eſt conſequitur reſtinctio cupiditatis corporeæ. Indéque per metaphoram, vinum quod ſacco frangitur & percolatur, *caſtrari* dicitur: in quod conclamat ea ipſa voce adhibita, Plinius lib. 19. Apud eumdem l. 18. c. 9. memoratur caſtratura ſiliginis, quæ *caſtrata*, id eſt cribrata, & excretis minùs puris partibus nitidior, erat in magno pretio. Videndus de cuius vocis apud iuriſperitos vſu, Ant. Auguſt. l. 3. emendat. iuriſ. c. 5. & Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 16.

*Euiratus*, latè ſumpto vocabulo, is dicitur, qui ob amiſſum copioſe ſanguinem frigeſcit. Sic enim S. Ambroſius l. de Noë & arca c. 25. exponens quomodò anima dicatur eſſe in ſanguine, eo quod ſanguis, per ſpiritus calidos quos habet admiſtos, viuiditatem & calorem conciliet, ait; [ Terrenæ

Digitized by Google

cogitationes & infirmæ, quaſi euiratæ ac ſine vſu ſanguinis habentur: Et ille *euiratus* dicitur, qui ſanguinis plurimum amiſerit, etenim ſanguinis amiſſione, frigeſcit. ] Antonomaſticè tamen, *euirati* dicuntur, non modò qui virilitatem exuerunt per abſciſſionem, ſed etiam Eunuchi nati, aut qui per maleficium vel ægritudinem ita rigent, vt impotes ſint ſe viros præſtare. Arnobius l. 5. *ex maribus* appellat, queſtus non ſolùm homines ponere ſexus viriles, ſed etiam pecudes fieri *ex maribus*, id eſt caſtrari, prout dum Arnobij locum legit & exponit Salmaſius ad Lampridium adiungens ſimilem locum ex Plauti Amphytruone. Græci eos qui eiuſmodi ſunt, vocant ἐναρέες, vel ἐναρεῖς, Hippocrates vocat ἀνανδριεῖς, agens de morbo Scytharum, quem collatis locis Herodoti in Thalia, & Hippocratis in libro de aëre, aquis & locis, exponit fusè Mercurialis l. 3. var. c. 7. Narratio Herodoti fert, Scythas fuſis Medis vniuerſa Aſia potitos, & ad Ægyptum ſubigendam Syriam, Paleſtinam ingreſſos, Aſcalone templum Veneris Vraniæ depeculatos eſſe. Quotquot autem eo ſe ſacrilegio contaminarant, omneſque eorum poſteros, morbo fæmineo à Dea irata multatos eſſe: ideóque à reliquis Scythis, *euiratos* eſſe appellatos. Cuiuſmodi is morbus eſſet, Herodotus non exponit; niſi quod eandem vocem hic adhibet, quâ in Melpomene, Scytharum vates *caſtratos* denominat ex quo intelligitur, eum morbum de Heroditi ſententia ad hoc negotium attinuiſſe. Diſtinctiùs Hippocrates, cauſam huius incommodi Scytharum, ita arbitratus ad Deum omnia prouidè moderantem eſſe referendam, vt tamen ſuam naturalem cauſam habuerit; nimirùm diuturnam diuitum equitationem, in qua propendentibus ſemper ex equis, eorum cruribus, corripiuntur articulorum doloribus; vnde morbo inualeſcente, claudicatio exiſtit per contractionem coxendicum. Cui incommodo vt occurrant, vtramque venam retrò aures, à morbi principio incidunt, qua ſectione ſterilitatem incurrunt; imò impotes fiunt ad vtendum coniugio. Vnde vbi aliquoties fruſtra tentarũt viros ſe præſtare, offenſi numinis reos ſe profitentes, muliebre indumẽtum aſſumunt,

Digitized by Google

& ad mulierum contubernium tranſeunt, tractaturi earum opera. Hac calamitate ſolos ferè diuites inter Scythas affici, quia pauperes minùs equitant, obſeruat Hippocrates; inde colligens, hunc morbum non eſſe Scythis immiſſum à Deo, qui æquè pauperes minùs ferè religioſos, & parciùs numen ſacrificijs demerentes plecteret; ſed eſſe morbum naturalem, contra quàm ferebat perſuaſio Scytharum, eam ægritudinem ad Deum vltorem referentium, vt Hippocrates teſtatur: qui addit Scythas reliquos, ſibi metuentes; huiuſmodi ( vt vocabant ) *effæminatos*, muliebria officia obeuntes, & inſtar fæminarum loquentes, omniáque ad modum mulierum facientes, adoraſſe & ſupplices coluiſſe, ne in tale incommodum inciderent. Stultè planè; Nam adeundus potiùs erat calamitatis ( vt rebantur ) autor Deus, non autem miſeri iſti maſtigiæ, ne ſibi quidem valentes opitulari. Sic de euiratis illis Hippocrates, quem quoad cauſam morbi prædicti, repetitam ab inciſione venarum, quæ ſunt retrò aures, reijcit Brodæus 4. Miſcell. c. 21. quod cum milites, grauia ſecundùm aures vulnera quotidie accipiant; qui tamen inde eum morbum contraxerit, inuentus eſt nemo; ac ne famâ quidem auditus. Itaque ridet Brodæus, argumentum Arabum eo experimento & Hippocratis teſtimonio nixorum, ad probandum, materiam prolificam ferè è cerebro promanare.

6. Quod hoc morbo correpti, & in Eunuchorum gregem tranſcripti, à Scythis *effæminati* ſint appellati, ( vt dictum eſt ex Hippocrate, ) non eſt exiſtimandum, hos eſſe illos *effæminatos*, aliquoties in ſcriptura memoratos, vt Reg. 14. ac 15. & 22. ac 4. Reg. 23. & Oſeæ 4. de quibus plenè Pineda in c. 36. Iob. v. 14. ad illud, *vita eorum inter effæminatos*. Hi enim erant alterius generis propudioſi, quos interpres Deuter. 23. parcens fortaſsè pudori, alio nomine dixit *ſcortatores*, ſic efferens Latinè ſententiam, *non ſit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator* Kades: quæ vox *puerum meritorium* ſonat. Nam etiam apud Petronium c. 7. Satyrici, cum deplorat inductam pæderaſtiam vox *ſcorti* ſumitur pro eo qui pube ſit vir & à tergo fæmina, vt Auſonius Epigrammate 22. dixit. Eam vocem *ſcorti* exponit Erhardus eo Petronij loco,



Digitized by Google

*Quærit ſe natura nec inuenit, omnibus ergo, ſcorta placent.* Id eſt mares fœminæ. Huiuſmodi autem puer dicitur *Kades* per antiphraſin; quæ vox, quæ *ſanctum* (iuxta corticem) ſonat, propudioſiſſimis humani generis dehoneſtamentis aptatur. Ijs inquam, in quibus ſexus perdidit locũ, & ſcelus eſt, id quod non proficit ſcire, vt loquuntur Conſtantius,& Conſtans ff. l. *cum vir nubit.* ff. *ad l. Iuliam de adult.* Vetuerat quidẽ Deus citato Deuteronomij loco, talibus ſpurcitijs inquinari gentem ſãctam: Sed ex ipſis Iſraelitis filij iniqui, ( vt narratur 1. Machab. c. 1. & l. 2. Machab. c. 4. ) huiuſmodi ſordibus vrbem ſanctam conſpurcauerunt, conſtituentes Hieroſolimis Gymnaſium & ephebiam. Scriptura alibi, vocat *ædiculas effæminatorum*, quas à pijſſimo Rege Ioſia euerſas teſtatur 4. Reg. 23. ad quæ loca fusè interpretes, nominatim Serarius, nec non Petrus Faber l. 3. Agoniſt. c. 27. & 28. Ab his turpitudinum monſtris, ſecreui eos, qui inter Scythas dicebantur *effæminati*, quia de eis non proditur, quod ſe virilis vigoris priuatos agnoſcentes, aliter ſegniorẽ ſexum ſint æmulati, quàm veſte, & voce, ac munijs operum. De Romanis tamen ſui temporis effæminatis, vſurpantibus ea ipſa ſigna exprimentia alterum ſexum quæ à Scythis effæminatis vſurpata diximus, Saluianus l. 7. de Prouid. ea chartis illiuit, quorum Scythas prædictos, inſimulatos eſſe non recolo.

Plus ſatis de notionibus vocum, quarum vſus erit ad hanc tractationem; Et enucleandæ neceſſariò ante omnia fuerunt, vt inter adducenda Autorum loca, conſtare poſſit de eorum ſententia. In tanta tamen complurium ex prædictis vocibus homonymia, conſultiùs videtur, adhibere frequentiùs vocem *Eunuchi*, quæ maximè vniuerſalis eſt, & omnes reliquarum vocum recenſitarum notiones ſuo ambitu comprehendit. Nam etiam apud Matthæum, legitur eo textu qui huic lucubrationi fundamentarius eſt, & ad cuius diſcuſſionem eſt veniendum.

Digitized by Google

# EVNVCHI
# NATI, FACTI, MYSTICI,
## EX SACRA ET HVMANA
## LITERATVRA ILLVSTRATI.

## CAPVT I.

*Chriſti de Eunuchis oraculum Matth. 19. v. 12. ad literam expenditur.*

ORdior ab illuſtratione literæ, quia ſcopus Chriſto propoſitus in tradenda hac doctrina, non eſt omnibus æquè peruius, egetque nonnulla illuſtratione.

Paulus de Palacio ad hunc locum Matthæi, exiſtimat Chriſtum hoc habuiſſe propoſitum, vt hortaretur ad continentiam eos, quibus à Deo donum continentiæ obtigerit, cæteros non item. Cuius rei gratia ſupponit Palacius, quoſdam benè & cum laude emittere votum caſtitatis, quoſdam abſque vlla culpa illud non emittere. Emittunt cum laude, qui in ſeipſis ſentiunt animum ad caſtitatem propenſum, & ad eam obſeruandam feruent, præ cæleſti ad eum ſtatum vocatione; conſequenter ad quam datum eſt eis vitam in terra Angelicam viuere. Qui verò non ita feruent, ijs non eſt datum continentiæ donum. Ex ijs porrò, qui ad caſtitatem inclinantur, alij eam capere & amplexari poſſunt, alij non item. Capere eam poſſunt, qui natura ſunt moderatiore, vel qui exercitio mortificationis reſtinxerunt impetũ ignis interni,

ſiuè concupiſcentiæ inflammatæ à gehenna. Qui verò corpore ſunt ad libidinem irritatiore, vel ex diuturno libidinis vſu feruntur aliò quàm ad continentiam, ij non capiunt, nec capere poſſunt verbum Chriſti, quod non expediat nubere. Itaque ijs dicitur, *melius eſt nubere, quàm vri.* Denique ex ijs qui naturæ ſunt tepidioris ac genij ſedatioris, aliqui obediendo Deo ad continentiam vocanti, capiunt prædictum Chriſti verbum: Alij agnoſcentes id non eſſe ex præcepto neceſſarium, abijciunt vocationem, nec capiunt, ſiuè arripiunt verbum Chriſti, continentiam tanquam expetibilem proponentis. Senſus ergò Chriſti, iuxta Palacium eſt, qui natura, vel exercitio minùs ad libidinem ſunt proni, nec adeò flagrant æſtu impuræ cupiditatis, ij donum continentiæ acceperunt, eámque capere, ſiuè accipere poſſunt; atque adeò illis ſuadetur, vt ei ſe dedant, iuuandi ad hoc diuinitùs, & pro victoria reportata coronandi. Qui verò non acceperunt donum continentiæ, non poſſunt eam capere; ac proinde vouere continentiam non debent.

2. Hæc ſummatim ex Palacio collecta, multipliciter ſordent, nec vllo pacto ſunt admittenda. In primis enim aſſumit Palacius, donum continentiæ non concedi niſi perſonis remiſſioris naturæ, vel vſum libidinis inolitum non habentibus. Vt certum eſt, pleriſque flagrantiſſimis & æſtuoſiſſimis, donum continentiæ conferri, cum plerique tales, reipſa contineant, & dicere poſſint, *in medio ignis non ſum æſtuatus.* Certum item eſt, pleriſque olim libidinoſis, vel diu coniugio vſis, donum continentiæ conferri, cum reipſa contineant, & quidem exquiſitè, Deo medium fornacis faciente quaſi ventum roris flantem. Verum eſt, inolitum vſum contrarium, reddere continentiam operoſiorem, niſi corporis caſtigatio per famem, & labores, pacatam faciat concupiſcentiam. [Sicut enim canis, dum aſſueuerit in macello oſſa rodere, non recedit à conſuetudine: ſed ſi fuerit clauſum macellum, & nemo ei dederit, fame enectus non ampliùs accedit: Sic tu quoque, ſi permanſeris in tuæ continentiæ exercitatione, mortificans membra tua quæ ſunt ſuper terram, & excludens ab ingreſſu inglu-

Digitized by Google

uiem, quæ parit intemperantiam; ægrè ferens dæmon, (vt qui cibos non habeat qui accendant,) à te recedet.] Verba ſunt Abbatis Iſidori ad Moyſem olim latronem, ob inolitam incontinentiam ſummas difficultates experientem circa continentiam. Neque eas difficultates ſuſtulit inopia omninò magna, cui ſe dedit Moyſes: ſed neque accedentibus vigilijs ſupra modum diuturnis, & fatigatione corporis per labores in geſtatione aquæ procul petendæ ad vſum variorum, pacem optatam obtinuit; Tantum poterat conſuetudo, cuius eſſe omninò magnam vim, benè admonuit S. Chryſoſtomus Hom. 7. in 1. Cor. Ob hanc majorem continentiæ difficultatem, poſt contrarium vſum inolitum, continentiam poſt coniugium, eſſe operoſiorem, latè tradit S. Nilus in narratione de Sinaicis cæſis.

3. Sed quamuis hæc ita ſint; tamen & flammeos corpore, & pridem incontinentes, continere poſſe, eſt extra dubium. Illuſtre eſt exemplum S. Gallæ deſcriptum à S. Gregorio l. 4. Dialog. c. 13. Hæc enim nondum adoleſcentiam tranſgreſſa, defuncto marito, cum vrgeretur ad ſecundas nuptias, idque ætati, ac tantis opibus congruere videretur; [Elegit magis (inquit S. Gregorius,) ſpiritualibus nuptijs copulari Deo; in quibus à luctu incipitur, ſed ad gaudia æterna peruenitur; quàm carnalibus nuptijs ſubijci, quæ à lætitia ſemper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cum valdè ignea cõſperſio corporis ineſſet; cœperunt Medici dicere, quia niſi ad amplexus viriles rediret, calore nimio, contra naturam barbas eſſet habitura: quod ita quoque, poſt, factum eſt. Sed ſancta mulier, nihil exteriùs deformitatis timuit; quæ interiùs ſponſi cæleſtis ſpeciem amauit; nec verita eſt, ſi hoc in illa fœdaretur, quod à cæleſti ſponſo in ea non amaretur.] Pergit deſcribere S. Gregorius reliquo capite, ſanctiſſimæ illius viduæ continentiam, omni virtutum luce radiantem per totam vitam. En perſonam flammantis naturæ, & coniugij voluptatibus ſepiſſimè vſam, quæ tamen accepit donum continentiæ, refigens canones à Palacio fixos. De pleriſque verò, primùm vitæ inquinatiſſimæ ex flagrantia corporis, & diuturna conuo-

Digitized by Google

lutione in cœno; abrumpentibus annuente Deo reſtim iniquitatis, & deinceps continentiſſimè vitam exigentibus, per ea Chriſtianorum miracula quæ Caſſianus maximè demiranda ſtatuit collat. 12. c. xi. & 12. tot ſuppetunt exempla Palacium falſi reuincentia, vt fruſtra videantur annotanda pauca. Exarſerit ergò quantumlibet in aliquo Babyloniæ fornax, & quaſi pice & naphta cōſperſi libidinum ebullierint appetitus, ( vt creditus Cyprianus ſerm. de ratione circumciſionis loquitur; ) nihilominùs in benè multis, diuina benedictio, [ Lentum reddit ac tepidum, frigidúmque, ( vt ita dixerim, ) ignem nobis inſitum, ac conuiſceratum, vt abſque vllius aduſtionis ardore, rorantem ſuſcipiat flammam, inſtar admirabilis illius Moſaicæ viſionis; vt carnis noſtræ rubus innoxio igne circundatus, non vratur: Vel ſicut illorum trium iuuenum, quibus ita rorante ſpiritu, Chaldaicæ fornacis flamma diſcuſſa, vt nec capillos eorum aut fimbrias, odor ignis afflaret, vt illud quodammodò quod ſanctis repromittitur per Prophetam, incipiamus iam in hoc corpore poſſidere, *cum ambulaueris per ignem, non combureris, flamma non ardebit in te.* ] Caſſianus eſt, quem adduxi ex collat. 12. c. xi. Ex his euerſum manet principium cui vniuerſa Palacij reſponſio inædificatur.

4. Deinde non video, quomodò dicat Palacius, aliquos eſſe, quibus Chriſtus non proponat continentiæ pulchritudinem, vt eam ſi lubeat, amplexentur; eos nimirùm qui temperie corporis ſunt feruidiore, aut diu conuoluti ſunt in cæno turpitudinis. Imò verò Chriſtus, hos quoque percupit flagrare amore caſtimoniæ; & eos qui prolapſi fuerint, cupit adijcere vt reſurgant, nec deſperare ſemetipſos, & mancipare corpora ſua vt inſeruiant iniquitati ad iniquitatem. Quàm verò inconſultè proſpicit Palacius, ijs qui vouerunt continentiam, & auerſi retrò poſt ſatanam, primam fidem irritam fecerunt, dono continentiæ deſtituti, vt fæda illa euenta docent. [ Quare vouiſtis, ( inquit Palacius in eos conclamans. ) Hoc facere non debuiſtis. ] Aio hoc eſſe inconſultum remedium iuuandis lapſis. Nam etſi fortaſſis aliqui inconſultè id fecerint, non computantes ſumptus qui ſuppetebant ad fabricam occœptam; fecerunt

Digitized by Google

tamen, et illaqueati ſunt verbis oris ſui, ac capti proprijs ſermonibus. Suggerendum ergò illis potiùs fuit, vt confidentes in Domino, mutarent fortitudinem, apprecantes ſibi, ſupplici ſed feruida oratione donum continéntiæ quod rectè petentibus concedi, docet Conc. Trident. ſeſſ. 24. can. 9. & innuit Apoſtolus. 1. Cor. 7. v. 7. dicens, *vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo*, vbi latè Cornelius, nec non Ianſenius c. 96. concord. poſt autorem imperfecti operis in Matthæum, atque Hieronimus. Tetrum autem eſt, cum pleriſque Sectarijs à Bellarmino allegatis lib. de Monachis cap. 8. ac nominatim cum Luthero atque Vermilio, occinere miſeris, vt abijciant haſtas; nec ſatis pium eſt, non aliter eis adeſſe, quàm improperando inconſultum conſilium initio conuerſionis ſuſceptum, quod illi impudicitiæ Magiſtri faciunt, agentes cum ſacris perſonis voto caſtitatis illigatis, ſi fortè eas pulſet tentatio.

Itaque nemo debet deſpondere animum, quia re vera omnes accipiunt donum continentiæ ſaltem ſufficiens ad continendum, ſi velint, Deo illucenti aſſentiri: Et culpa ipſorum eſt, ſi donum illud, quod ipſis eſt ad manum, non exerat vim ſuam. Quod ſi non ſentiunt in ſe robur; quale habent, qui reipſa continent, petant, & dabitur eis; præſertim ſi alia quoque ſpiritualia ſubſidia, & carnis veluti lupata non negligant. Illuſtret hoc negotiũ locus ex Homilia 21. de varijs in Matthæum locis apud Chryſoſtomum & Homil. 32. operis imperfecti. Ibi autor expenſa Chriſti doctrina de coniugij deinceps indiſſolubilitate, & Apoſtolorum ad eam doctrinam cõmotione, præ tanta plerumque mulieris malignitate, cõiugium completura ærumnis perpetuis, veniens ad Chriſti reſponſum, ait; [Tunc Dominus (audiens quod dixiſſent, *ſi ita eſt, non expedit nubere*;) non dixit, quia expedit ſed magis conſenſit quia non expedit: ſed infirmitatem carnis aſpiciens, dixit; *Non omnes capiunt*, id eſt, omnes capere poſſunt, non tamen capere volunt. Palma propoſita eſt, qui concupiuit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, ſi omnes periculum pugnæ timerent. Ex eo quod quidam non poſſunt, & à propoſito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutẽ caſtitatis fieri pigriores. Si enim qui-

Digitized by Google

dam de pugna cadentes, non exanimant cæteros, ſed dicunt illis, ſi datum fuiſſet; rem non applicant pugnæ ſed homini quanto magis nos cadentes, negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis? Quod dicit, *quibus datum eſt*, non hoc ſignificat quoniam quibuſdam datur, quibuſdam non datur, ſed illud oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit, *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur.* Debet autem voluntas præcedere, & ſic ſequitur gratia. Nam neque gratia, ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas quid ſine gratia poteſt. Nam & terra non germinat niſi pluuiam ſuſceperit; nec pluuia fructificat ſine terra.] Optimè in rem præſentem. Nec quod de præceſſione voluntatis dicit, inquinat reliquam doctrinam. Ea enim præceſſio vt liquidiùs habetur ex Homil. 37. operis imperf. ad verbum, *& confeſtim remittet eis*, eſt voluntatis priùs à deo præuentæ ac ſollicitatæ, vt gratia continentiæ de qua ibi agitur, voluntate tamen illi præuio conſentiente conferatur, in quo nihil ſubeſſe ſemipelagiani fermenti monſtratum eſt in Valeriani defenſione c. 7. à num. 10. & c. 9 à num. 9. Illa ſanè gratiæ cum pluuia, terræ cum voluntate comparatio, Catholiciſſima eſt & c. illo 7. n. 4. illuſtrata ex SS. Ephrem, Macario, Paulino, atque Prudentio. Itaque bellè autor ille omnes capere poſſe profitetur ſi velint ſuppoſita cœleſti præuentione, non tamen omnes capere, quia tamen per gratiam non accommodant ei voluntatem, neque ſe ſubiungunt diuinæ aſpirationi ac ſollicitationi, quam poſt primum tactum merè gratuitum, emererentur fortiorem ac pleniorem ſi vellent, ac peterent.

Eſt igitur continentia, donum Dei, quod hic affirmat Chriſtus, agens *de maiore & glorioſiore continentia*, quæ eſt à coniugio, vt S. Auguſtinus pronunciat l. de contin. c. 1. Eam tamen Deus paratus eſt dare poſcentibus & quod ſuum eſt conferentibus, vt vniuersè de continentia traditur Sap. 8. & ab Apoſtolo 1. Cor. 7. quæ loca ibi ſignat Auguſtinus; Nec contrarium intendit

dit Chriſtus, in oraculo, quod expendimus, & incommodè à Palacio expoſitum eſſe demonſtrauimus.

5. Aliter ſcopum Chriſti in hoc reſponſo Apoſtolis dato aperit Autor libri de caſtitate, qui perperam Sixto Pontifici inſcribitur. Adhortans enim potenter ad caſtitatem, & fugam coniugij, ait de hoc Chriſti dicto. [Nolo ſic intelligas dictum, *non omnes capiunt hoc verbum, ſed quibus datum eſt*; quaſi caſtitatem non niſi illi poſſideant, quibus etiam non volentibus, & fatali (quod aiunt) neceſſitate, collata ſit; ne & gratioſum Deum ſtatuas, & caſtitatis præmium tollas; & vanam vtrobique eius exhortationem facias, ſi eam non capiunt, ſed quibus diuinitùs indulgetur, obtineant. Tam vana erit exhortatio rei non voluntariæ, quàm præmium iniuſtum: & tam non culpari merebitur, qui pudicitiam negatam ſibi non habuerit, quàm qui collatam poſſederit, coronari. Quomodò ergò intelligendum eſt, *non omnes capiunt hoc verbum, ſed quibus datum eſt?* Noli à ſcripturæ ſono diſcedere, & errare non poteris. *Verbum* dixit *datum*, non caſtitatem; quam aliunde ſperare non poſſumus; quia cum habemus, naturaliter poſſidemus. Noſtra eſt enim, quæ nobiſcum naſcitur, & in nobis eſt. Ita non eſt ſperanda, ſed cuſtodienda quæ in nobis eſt. Hoc ergò cuſtodiendæ caſtitatis verbum, non omnes, ſed quibus datum eſt, capiunt: Quibus ergò datum eſt? Omnibus Chriſti diſcipulis, qui & Euangelium, & Apoſtolum legunt; vbi non aliud magis Deum, quàm caſtitatem velle cognoſcunt. Quibus verò datum non eſt? Paganis ſcilicet ac Iudæis, & quibuſcunque noui Teſtamenti doctrina ignota eſt, in qua & maximè bonum caſtitatis oſtenditur. Inde ne quis exiſtimaret omnem caſtitatem indifferenter, Domini præmium promereri, & vt quam remuneraturus eſſet, oſtenderet; ſpontè videlicet & fideliter conſeruatam, non aut generandi vitio, aut humanæ violentiæ neceſſitate poſſeſſam, ſequitur dicens; *ſunt enim ſpadones, qui ex vtero matris ſic nati ſunt, & ſunt Spadones, qui caſtrati ſunt ab hominibus, & ſunt Spadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* Hi ergò ſoli regnum cælorum accipiunt, qui ſe poſſeſſionis eius causâ caſtrauerint. Aut ſi ſimiliter eualuerat in



Digitized by Google

totum, ſuperuacua caſtratio erit, & Domini ſuperflua repromiſſio, ſi etiam non caſtrati accipient, propter quod alijs neceſſitas quodammodò voluntariæ caſtrationis inducitur.]

6. Hactenus Auctor ille, (perperam creditus S. Sixtus Pontifex:) qui tantùm abeſt à Chriſti ſcopo, quantùm à doctrina ſana. Eſt enim & hoc loco, & alibi non ſemel, fuligine Pelagij oblitus. Deprehendere hoc licet, quod incuſat fatalitatis, aſſertionem gratiæ diuinæ, præuenientis eluctabiliter voluntatem: qui erat Pelagij, & ſequacium crocitatus. Similitérque Pelagij fermẽtum reſipit, dicere *Deum* fore *gratioſum*, id eſt fore acceptorem perſonarum, ſi aliquibus obueniat donum gratiæ, quod alijs æquè non communicetur. Deus enim nemini obligatur ex iuſtitia; vnde nihil confert vlli, poſthabito iure alterius, (quod eſſet accipere perſonas:) ſed nulli debens, effundit dona ſua liberaliter: In quo non poteſt cum Pelagio, inſimulari acceptionis perſonarum, etiamſi idem munus non diffundat ad omnes. Sed non eſt opus, ex huiuſmodi vnguiculis feram hanc deprehendere, cum totus diſcurſus propoſitus, apertè ſordeat Pelagianiſmo; quippè in quo negetur continentiam eſſe à Deo ſperandam. At hoc eſt contra expreſſum ſapientis oraculum Sap. 8. *Agnoui quod nemo poſſit eſſe continens niſi Deus det.* Et contra illud Apoſtoli 1. Cor. 7. de continentia agentis, *vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo.* Quæ loca in hanc rem, tanquam explorata, adduxit D. Auguſtinus l. de contin. c. 1. Hanc ipſam veritatem verbis vno ſe dignis confirmans l. de bono viduitatis c. 16. & 17. & Epiſto. 143. quæ eſt ad Iulianam, vbi quæ ex hoc Pſeudoxiſto expendimus, adducit ex ipſius Pelagij epiſtola ad Demetriadem, & latè refellit. Illud verò ridiculè prorsùs ab perſonato Sixto eſt effutitum ea verba, *quibus datum eſt*, non ſonare diuinum auxilium præueniens & adiuuans, ſed ſignificare donationem verbi; id eſt prædicationem, quæ eſt mera gratia extrinſeca: quaſi verò ea vox *verbum*, cum dicitur, *non omnes capiunt verbum, ſed quibus datum eſt*, ſignificet ſermonem prolatitium, & non potiùs rem de qua agebatur: pro more ſcripturæ, in qua paſſim *verbum* ſumitur pro re expreſſa per voces, ſiuè pro re de qua agitur; vt

Digitized by Google

cum Paſtores dixerunt, *videamus hoc verbum quod factum eſt*, & alibi ſexcenties. Simili reſponſionis ludibrio, vnus aliquis apud Abelardum parte 2. Epiſtolarum *in* 21. cum negaret dari partes in quanto, & vrgeretur eo loco Ioannis, quo Chriſtus dicitur comediſſe *partem piſcis aſſi*, ita eum locum expoſuit, vt ſenſus eſſet, Chriſtum comediſſe partem huius vocalis compoſiti, *piſcis aſſi*, non autem partem rei ſubſtratæ vocibus, quod nemo non videt eſſe ridiculum, vel etiam inſanum, quia voces non ſunt accommodatum pabulum quod comedi poſſit. At æquè ludicrum eſt, orationem Chriſti de iis tantùm capientibus verbum ſuum, quibus fit ea gratia; obtorquere ad capientes verbum, id eſt, excipientes prædicationem: cum manifeſtè eſſet Chriſto ſermo, de re verbo ſubſtrata ſiuè de continentia; quam expedire amplecti, ij tantùm percipiunt, quibus fit à Deo ea gratia.

Audiamus probabiliora de mente Chriſti in hoc negotio. Leſſius l. 4. de virtut. c. 2. n. 104. ait, ſenſum Chriſti aſſerentis non omnes capere reſponſum, quod edebat, vel bonum, quod proponebat, iſtum fuiſſe. Nom omnes practicè intelligunt iudicantque quod dico eſſe ſibi expediens ad ſalutem, ſic formando iudicium, vt affectus quoque eò trahatur. Proinde iuxta Leſſium, dixit Chriſtus, non omnes poſſe capere conſilium continentiæ, quod proponebat, ſi agatur de potentia propinqua & ſufficienti: quia non omnes ſatis ſunt inſtructi, vt quanti ſit bonum continentiæ intelligant; nec omnes ita diuinitùs excitantur, vt illud amare & amplecti velint. Omnes tamen poſſunt bonum continentiæ capere, ſiue amplecti, potentia remota, quæ in actum reduci valeat, ſi ipſi voluerint, cum non ſtet per Deum.

7. In hac mentis Chriſti interpretatione, non planè acquieſcit animus. Nam illud *capiant*, potiùs ſpectat ad intellectum ſpeculatiuum, quàm ad practicum, vt mox dicam. Deinde non apparet, quorſum potentia illa dicatur remota eſſe, & non proxima, cum vnuſquiſque proximè, & abſque nouo auxilio ſupra illud quod eſt vnicuique ad manum, ſit potens ad continendum. Tandem quomodò negatur, potentiam illam ca-



Digitized by Google

piendi ſiue amplexandi continentiam, eſſe potentiam ſufficientem, cum admittatur, hominem per eam potentiam poſſe in actum erumpere, ſi voluerit nec obluctetur diuinæ vocationi? Nam ſi eſt potentia idonea vt per eam prorsùs immutatam, planèque eamdem, erumpatur in actum, non apparet quomodò non ſit ſufficiens, cum ea ſit notio facultatis ſufficientis. Itaque aliquid explicatius addendum ſupereſt. Poſſet ſanè ſimpliciùs, abſque adiunctis propoſitis, dici cum Sandero l. 7. de vitiis Monarch. pag. 585. verbum *capiunt* accipi pro eo quod eſt, *afficiuntur erga continentiam*; ita vt ex affectu erga eam, velint ſe caſtrare, id eſt vltrò impotentes reddere ad legitimum coniugij vſum. Tamen in hac quoque interpretatione verbi *capiunt*, deſideratur aliquid quod ex ijs quæ ſubijciam, erui poterit.

8. Sunt qui illud *capiunt*, accipientes de amore continentiæ per eos, quibus datum eſt, ſecuti, (vt putant) D. Auguſtinum, hoc donum continentiæ, defectu cuius non omnes capiunt verbum de non ineundo coniugio, interpretantur de munere diuino, ita antecedente voluntatem, vt eam ineluctabiliter inflectat ad volendum continere; & ita detur diuina ſorte quibus Deo placet, & non alijs, vt nullo noſtro ſtudio poſſit obtineri, ſed ſit merè largitatis diuinæ beneficium. Ideò enim D. Auguſtinus informans Iulianam matrem Demetriadis, cuius fidei inſidiabatur Pelagius, conteſtatur donum continentiæ non eſſe à nobis, ſed à Deo; atque adeò agnoſcit, hoc donum pertinere ad gratiam præuenientem, quam Deus facit in nobis abſque nobis: damnatque non mediocris erroris, contrariam aſſertionem. Et nominatim hoc modo vult intelligi verba Chriſti quæ expendimus, *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.*

9. Hæc D. Auguſtini dicta ſunt veriſſima, ſed ſano modo debent intelligi, ſecernenda ergò ſunt duo, primùm, quod dicitur de dono antecedente liberum cõſenſum noſtrum iuxta D. Auguſtinum; neque enim mens eius fuit, gratiam præuenientem, qua homo ad continentiam excitatur, eſſe adeò fortem, vt ei obſiſti à voluntate non poſſit. Non hoc voluit S. Auguſtinus, imò expreſsè l. de dono perſeuer. c. 14. &

Digitized by Google

epiſtola illa 143. docet, continentiam ita eſſe Dei donum, *vt tamen credenti, volentique conferatur*, & hoc ipſum, obedienter audire Deum excitantem, ſit Deum dare continentiæ munus; Non quod priùs homo velit naturali ſua facultate habere donum cõtinentiæ, & ex ſeipſo illam expetat: ſed quod excitatio ad continentiam indita diuinitùs humanæ voluntati, excipiatur ab ipſa liberè, cum poſſet ei negari aſſenſus, & irrita reddi eius pulſatio. Hinc igitur liquet, perperam affingi S. Auguſtino, excitationem quaſi fatalem & irreſiſtibilem ad continendum, in ijs quibus datum eſt. Quæ erat prima obtorſio ſententiæ D. Auguſtini in hoc negotio.

10. Alterum quod in D. Auguſtini dictis ſecerni volebam, ſpectat collationem doni continentiæ aliquibus diuina ſorte obuenientis, non alijs, qui idcircò videantur non poſſe continere, cum deſtituantur hoc munere, quo continent qui continere inducunt in animum. Ita quidem aliqui corticem verborum D. Auguſtini accipiunt; ſed eius mens eſt planè alia. Admittit enim, eos qui donum efficax continentiæ non acceperunt, poſſe continere in alterius doni ſufficientis, quod omnibus eſt ad manum. Additque, eoſdem reipſa non continentes, poſſe ſi vellent Deo cooperari, emereri ſupplicibus votis auxilium, quo reipſa continerent. Audiendus, hoc ipſum pulchrè admodùm exponens. S. Iſidorus Peluſ. l. 4. Epiſtol. 165. ſic ſcribens. [ Quod de virginitate dictum eſt. *Non omnes capiunt ſermonem hunc, ſed quibus datum eſt*, id non eſt eo ſenſu dictum, quaſi quibuſdam ſorte quadam arcana tributum ſit; ( Nam ſi ita eſſet, non propoſuiſſet ipſis præmium regnum cælorum: ) ſed vt oſtendat, primùm quidem diuino auxilio indigere eos qui iſtud naturæ excellentius certamen ſuſceperunt: deinde quod cælitùs hoc conſilium deſcendat, non lege ſanciens, ſed exhortatione & ſuaſione vtens. Tertiò quod hæc facultas virginitatem colendi, detur ijs qui intemperantia ſuperiores extiterint, qui deſuper ueniens auxilium implorarent, qui pretioſum illum theſaurum, ieiunijs atque vigilijs conſeruarent, nec ſemetipſos feræ belluæ per ignorantiam & delicias prodiderint. Nam ſi ſecundùm ſortitionem quandam daretur, ſuperuaca-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

neum eſſet præmium, quod virginitatis cultoribus eſt propoſitum. Non itaque ex mera gratia datum eſt : ſed illis datur, qui accipere volunt. Illis enim, qui nolunt, nemo erit qui ſit daturus.

11. Præter duo quæ ſecernenda dicebam, in D. Auguſtini dictis de hoc dono, & de non capientibus verbum de continentia ſeruanda, annotandum etiam eſt, hanc interpretationem verborum Chriſti in dictis S. Auguſtini ritè conditis fundatam; ſupponere, captum, de quo Chriſtus agebat, pertinere ad amorem ſiuè affectum : quæ tamen ſuppoſitio minùs arridet, vt nunc ſubijciam. Vera ergò mentis Chriſti interpretatio, hæc eſſe videtur quam tradidit S. Epiphanius hær. 66. quæ eſt Manichæorum, eamque approbauit ad hunc locum Maldonatus. Promulgauerat Chriſtus inſtaurandam deinceps matrimonij inſolubilitatem, qualis principio fuerat. Hærentes ad eam promulgationem diſcipuli, pronunciauerunt ſi ita res ſe habitura erat, præſtiſſe abſtinere à coniugio. Repoſuit Chriſtus Eſt verbum quod ſubijcio, non ab omnibus æquè peruadendum, ſed ab ijs duntaxat penetrandum, quibus cæleſte lumen affulſerit. Abſtinent aliqui à coniugio, quia ex naturali conſtitutione ſunt ad illud inepti : alii per humanam violentiam facti ſunt ad matrimonium inhabiles. Sed eſt alia abſtinentia à coniugio, ſola laudabilis, quia aliqui ſe vltrò exſecant, & ad coniugium impotentes efficiunt, vt Deo placeant, & regnum cælorum præcellenti modo adipiſcantur. Qui poteſt hoc intelligere, intelligat. Eſt enim perobſcurum, quomodò homo ſeipſum propter Deum poſſit exſcindere, atque adeò non omnes hoc intelligunt, ſed ii tantùm qui hoc dono inſtructi, penetrant intellectu, quàm hoc abſtinendi conſilium ſit homini conducibile & expediens. Intelligat hoc quod dico, qui poteſt. Simili loquendi formula vſus eſt Chriſtus, cum dixit, *qui legit, intelligat*, Et alibi eodem ſenſu ait, *qui habet aures audiendi audiat*; id eſt intelligat qui poteſt; eſt enim perobſcurrum, nec facile captu : qualis etiam erat alibi ſermo Chriſti cum Ioan. 8. dicebat, *ſermo meus non capit in vobis* : id eſt, *non eum peruaditis, non penetratis, non capitis*, Itaque Chriſtus, tacitè inſinuauit excelſitatem conti-

Digitized by Google

nentiæ Euangelicæ, propter Deum adamatæ, qua ſymbolo vltroneæ caſtrationis expreſſit. Aliam autem quamcumque continentiam, ſymbolo Eunuchiſmi naturalis aut factitii violenti adumbratam, non habuit propoſitum commendare, cum non colluceat honeſtate ſupernaturali, nec niſi materialiter, & quaſi phyſicè, ac extra genus virtutis conueniat cum Euangelica continentia; qualia pleraque habemus cum Ethnicis communia, ſed fine diuerſa, & ideò apud nos pia & ſancta, apud illos illaudata. Doctrina eſt S. Auguſtini 20. contra Fauſt. c. 23.

## CAPVT II.

*Eunuchiſmus triplex à Chriſto recenſitus Matth. 19. typo expoſitus.*

QVandoquidem Eunuchiſmus abſtinentia cænoſæ cupiditatis, ac elongatione ab vſu commercii corporei, & tendentis ad illud voluptatis conſtituitur; meritò triplex diſtinguitur Eunuchiſmus: nempè vt S. Hilarius cant. 19. in Matth. notauit, *à natura*, *à violentia externa*, *ab intrinſeca voluntate.* Eáque tria membra Chriſtus ipſe propoſuit, Matth. 19. dicens eſſe Eunuchos *qui ex matris vtero ſic nati ſunt*; *& Eunuchos qui facti ſunt ab hominibus*; *& Eunuchos qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* Primum Eunuchiſmum, vocabo *naturalem*; ſecundum, *factitium*, ſiuè *artificioſum*; tertium, *ſpiritualem*, ſeu *myſticum.* Vnum quodque ex his membris, typo quodam primùm deſcribam, ſubiuncturus exactam ſingulorum conſiderationem, ſigillatim.

### §. 1. *Eunuchi ſic nati.*

2. Eunuchos naſci, tam rarum eſt, vt incredibile videatur, ait Autor qq. ex vtroque teſtam. q. 116. reuera tamen aliqui naſcuntur tales. Nam aliqui, ex naturali conſtitutione elon-

gantur ab vſu ſexus, quod eſt eſſe Eunuchum à natura. Fit autem ea elongatio, duplici de cauſa. Vel enim primò pars aliqua ad eum vſum neceſſaria deficit, aut ob peſſimam conformationem perinde ſe habet, ac ſi deficeret : vel ſecundò, temperies adeò frigida eſt, vt ſit ad illum finem inepta, & hominem ad eum reddat inhabilem. Reuocatur autem ad has cauſas, euentus ſimilis, ex morbo arte non inducto contingens; puta ſi quis ex morbo amittat aliquod membrum pertinens ad hoc negotiun, illudue ita malè affectum habeat, vt ſit inutile, quamuis ante morbum eſſet accommodatum.

3. De priore cauſa, illud breuiter dicendum eſt, cum Titelmanno in c. 19. Matth. quemadmodùm naſcuntur aliqui membro quopiam deſtituti; vel adeò malè conformato, vt non congruat fini, cuius gratia membrum illud ex naturæ intentione confertur; ſic nihil vetare, quominùs aliquis ob penuriam materiæ, vel ob virtutis formatricis debilitatem, careat parte aliqua ad vſum ſexus requiſita, eámue ſortiatur adeò malè compactam, vt perinde ſit ad finem prædictum, ac ſi talis pars eum deficeret. Exemplis hæc omnia illuſtrare non eſt difficile, etiam ijs dimiſſis quæ fabuloſitatis referta, vndecunque corradit Plinius l. 8. c. 2. varios in hominibus à natura defectus referens; ait enim alicubi homines naſci abſque ceruice, alibi ſingulis cruribus, alibi cum vnico oculo media in fronte, alibi abſque narium foraminibus; alibi abſque ore; quæ omnia ſunt nugatoria, nec à Plinio ex ſuo ſenſu proferuntur, ſed ex Cteſia fabulandi ſcientiſſimo, ad operis amænationem, & lectoris oblectationem referuntur. Ijs verò ablegatis, conſtat naſci aliquos monſtroſos defectu alicuius membri, quod ſit de humani corporis integritate. Sic Gaſpar Bauhinus l. 1. de hermaphrod. & monſtris c. 8. annotat ex Romana hiſtoria, anno vrbis conditæ 560. Arimini natum infantem abſque oculis & naſo. Alios obſeruat in Piceno natos abſque manibus & pedibus : Et non ita pridem Baſileæ vnum, nec non Argentinæ alium, abſque brachijs editum, qui pedibus calamos ſcriptorios aptaret, ac ſcriberet, teſſeris luderet, aliáque ſimilia præſtaret, quæ paſſim præſtantur manibus. Id quod etiam ſcaliger exerc.

334.

Digitized by Google

334. refert de Antonio quodam Neapolitano, qui brachijs priuus, natus erat. Addit Bahuinus, natura gemellos parante, aliquandò edi fætum bicipitem, ſed vno brachio inſtructum, vel omnibus membris mancum : aliquandò etiam planè exoſſem. Etiam mercatorem Antuerpienſem, hepate & liene deſtitutum ab ortu vixiſſe, vena caua, ex inteſtinorum ſubſtantia corroſa, prodeunte. Alia de natiuo partis alicuius defectu exempla, legere licet apud Martinum Vratiſlauienſem in tractatione de monſtris, Paræum libro eiuſdem argumenti, & paſſim alios qui agunt de fætu humano, eiuſue partu. Quid ergò vetat aliquem ſimiliter naſci abſque aliquo membro ad vſum ſexus neceſſario, VG. abſque vtroque teſte, ſicut Syllam, & Cottam vno tantùm teſte fuiſſe inſtructos, proditur.

4. Quoad conformationem malam membri alicuius ad vſum ſexuum neceſſarij, luculentum eſt exemplum Heraclj, qui ex quo ſe inquinauit inceſtu, nepte Martina in coniugem aſſumpta, eò deuênit turpitudinis, vt partem, qua vir erat, ſemper haberet erectam versùs faciem ſuam, nec poſſet mejere, niſi faciem ſibi lotio conſpurcaret; adactus eam ob rem interponere tabellam; quæ aquam non iam pedum, ſed faciei, à vultu auerteret. Videſis S. Nicephorum Conſtantinopolitanum in hiſtor. ad annum 634. Zonaram & Cedrenũ ad annum quartum Heraclij, & Baronium anno Chriſti 613. Quod ergò Heraclio diuina potiùs vindicta (vt adiuncta inſinuant,) quàm ex naturalium cauſarum efficacitate obtigit, poſſet alteri naturaliter accidere, vel ex conformatione prima, vel ex morbo aduentitio, arte non inducto : quam naturæ incommodationem, ad primam hanc cauſam, in qua verſamur, reuocandam diximus.

5. Poſterior Eunuchiſmi natiui cauſa, eſt frigiditas iuſto maior, cum ſcilicet mas ex innata temperie, adeò debili eſt calore, vt deficiat eum vigor ad vſum ſexuum neceſſarius: penes quem defectum, aliqui laborant impotentia intercludente matrimonium; ita vt ſi cum eo obice coniugium celebrauerint, contractus fuerit irritus, quippè celebratus interueniente impedimento dirimente, incompoſſibili cum ſub-



Digitized by Google

ſtantia coniugij, quæ ſpectat prolis ſuſceptionem interpoſito ſexuum vſu; per hunc obicem, (vt ſupponitur,) intercluſo. Reſtrinxi hanc cauſam Eunuchiſmi natiui, ad marem; quia in eo duntaxat locum habet iſte defectus, vt rectè affirmat S. Thomas in 4. d. 34. q. vnica, artic. 2 ad 6. inde petens huius rei rationem, quod frigiditas in vſu ſexuum, ei duntaxat officiat, cuius eſt agere: ad agendum enim calor neceſſarius eſt, non ad patiendum. At in ſexuum vſu, ſolus mas ex neceſſitate agit. Itaque ſolus incurrit hunc Eunuchiſmum. Vnde DD. ad titulum de frigid. & malefic. huiuſmodi obicem coniugiorũ, ſpectant tantùm ex parte viri. In muliere autem conſiderant aliud impedimentum, à frigiditate longè diuerſum; quo propter nimiam obſerationem, nequit excipere, vnde concipiat, etiamſi nullæ eam partes deficiant, & optima ſit corporis temperatione. Differit in hanc rem plenè Abulenſ. in c. 19. Matth. q. 87. Præter cætera verò obſeruat, hanc viri Eunuchizationem, tametſi paſſim dicitur prodire à frigiditate, quia hæc eſt eius cauſa frequentior, & fortior; tamen poſſe etiam prodire à nimia caliditate, totum humorem prolificum exſugente; vel ſpiritus ad vſum ſexuum neceſſarios, auertente. Quin etiam defectum ex parte organi, laxato vocis cortice, ait Abulenſis, dici *frigiditatem:* ita vt hoc ſit generale nomen cuiuſuis eunuchizationis naturalis. Nos tamen eum vocis minùs proprium vſum, hic non ſpectauimus. Quod autem q. 88. inquirit idem Autor, cur Deus aliquos ſinat ſic affectos naſci ex matris vtero; non fuit cur ſpecialiter circa hoc incommodum diſputaretur, cum ſit vniuerſalis quæſtio circa omnes naturales oblæſiones agitata ab eodem in caput 10. Matthæi quæſtion 126. Non eſt certè quod quis ea ex cauſa criminetur diuinam iuſtitiam, aliquibus negantem, quod alijs præbet. In quam rem fusè diſputat Toletus in cap. 9. Ioan. annot. 4. occaſione cæci, qui non peccarat ipſe, neque parentes eius, vt cæcus naſceretur: & tamen à natura ſortitus eſt defectum illũ pro Dei gloria. Eadem proportione & modo, philoſophari licet in hoc negotio.

Digitized by Google

## §. 2. *Eunuchi, facti ab hominibus.*

1. Sicut natiuus defectus alicuius partis ad vſum ſexuum neceſſariæ, vel frigiditas euigorans & emaſculans, inducit Eunuchiſmum naturalem, vt proximè eſt expoſitum; ita ars eum partis alicuius neceſſariæ defectum, vel intemperiem iuſto frigidiorem inducens, poteſt ſimilem Eunuchiſmum inducere; & verò plerunque inducit.

2. Defectus partium, cernitur vel in totius virilitatis remotione, vt tactum eſt in Proluſione V. *exectus*, vel in vtriuſque didymi ablatione, aut contuſione ſiuè contritione, quæ eos inutiles ad naturale officium reddat. Sunt enim Didymi, officinæ humoris prolifici, inde ijs ablatis, aut ad munus cui à natura deſtinantur, prorsùs inhabilibus factis per artem, conſequitur Eunuchiſmus factitius. Dixi *ex vtriuſque tantùm Didymi ablatione, aut vitiatione omnimoda*, exiſtere Eunuchiſmum: quia ſi vnus tantùm adimatur, & alter ſuperſit benè affectus, non intercluditur prolis ſuſceptio, vt rectè confirmat Nancelius l. 7 Microcoſmi c. x. problem. 6. eſtque res experimentis frequentibus teſtatiſſima. Porrò huiuſmodi defectus partium iſtarum effici poteſt per artem, varijs modis, quos recenſent Valeſius c. 24. ſacræ philoſ. Paulus Zacchia lib. 2. tit. 3. q. 7. n. 6. Nancelius problemate illo 6. Abulenſis in c. 19. Matth. 9. 89. omnes poſt Paulum Æginetam lib. 6. c. 68. quem iſta liquidò exponentem, audire iuuerit. [Cum ars noſtra (inquit,) huc tendat, vt corpora à ſtatu qui præter naturam eſt, in naturalem deducat. Eunuchos faciendi ratio, quam Græci *Eunuchiſmum* dicunt, contraria promittit. Verùm quia & inuiti ſubinde à præpotentibus quibuſdam, etiam Eunuchos facere cogimur, explicandus compendiosé modus eſt, quo illis ſatiſfaciamus. Duplex itaque eſt: Alter contuſione, alter exciſione perficitur. Et contuſio quidem, peragitur in hunc modum. Pueri adhuc infantes, in aquæ calidæ ſolium collocantur; deinde vbi corpora eodem ſolio fuerint relaxata, digitis premuntur teſticuli, vſquedum aboleantur & euaneſcant. Diſſoluti, non amplius ad tactum occurrunt. Exciſione, hac



Digitized by Google

ratione efficitur Eunuchiſmus. Reſupinatur in ſedili qui Eunuchus fieri debet, & ſcrotum cum teſticulis, ſiniſtræ manus digitis premitur, quo facto duas lineas rectas, vnam per alterum teſticulum, ſcalpello incîdes. Vbi exilierint teſticuli, cute detracta, execabuntur, ita vt tenuiſſimum ſolum naturale vaſorum commercium relinquatur. Atque hic modus, eo qui per contuſionem fit, magis probatur. Nam qui contuſionem teſticulorum ſunt experti, nonnunquam venerem appetunt, parte aliqua, ( vt veriſimile eſt, ) teſticulorum, contundenda intus deliteſcente. ]

3. Inuentum vtrolibet modo propoſito euirandi, plerique tribuunt Semiramidi, vt Ammianus l. 14. Alij tribuunt Perſis aut Parthis, quod idem eſt. Vnde Claudianus l. 1. in Eutropium Eunuchum, ſub dubio rem ponens, ſic canit de Eunuchizatis.

*Hos facere manus; ſeu prima Semiramis aſtu*
*Aſſyrijs mentita virum, ne vocis acutæ*
*Mollities, lauéſque genæ ſe prodere poſſent*
*Hos ſibi coniunxit ſimiles: ſeu Perſica ferro*
*Luxuries, vetuit naſci lanuginis vmbram;*
*Seruatóque diu puerili flore, coëgit*
*Arte retardatam veneri ſeruire iuuentam.*

Illud *ſeu Perſica ferro*, alibi legitur, *Parthica*, nullo vitio, vt notat Lipſius ad l. 6. Annal. Taciti, quia hi populi erant confuſi. Perſis ergò autoribus id tribuunt multi; Vnde *Spadones* à *Spada*, Perſiæ vrbe, ex Stephano l. de Vrbibus, de nominatos volunt. Familiarem certè fuiſſe hanc carnificinam Perſis, monſtrant quæ adducit Briſſonius l. 1. de regno Perſar. ex Herodoto l. 6. & l. 8. cum de Hermotimo apud Xerxem gratioſiſſimo. ſingulare eſt quod Theophilus l. 3. ad Autol. viſus eſt primum huius inuenti autorem ſtatuiſſe Tarquinium ſuperbum. [ Is primus (inquit) in exilium quoſdam Romanos relegauit, pueros corrupit, Spadones fecit quoſdam Romani ſoli incolas. ] Sed hoc ad ſummum, valet quoad Romanos. Nam initium regni Tarquinij ſuperbi, conſignatur anno mundi 3521. ante Chriſtum 532. cum iam anteriùs Moſes ( qui anno mundi

Digitized by Google

2583. ante Chriſtum 1469. deſijt viuere, ) Deuter. 23. meminiſſet exectorum vtriuſque generis. Quo argumento Antonius Vlmus in opere de fine barbæ humanæ ſect. 3. c. 4. probari cenſuit, ne Semiramidem quidem poſſe inuentricem huius carnificinæ haberi. Sed hallucinatur; cum Semiramis Abrahami ætate regnauit, defuncta anno mundi bis milleſimo nonageſimo, tanto ante Moſem interuallo.

4. Siuè autem Aſſyrij apud quos Semiramis, ſiuè Perſæ, hunc vſum inuexerint, quem Rex Lydorum Andramites ( Athenæo referente l. 12. ) ad mulieres quoque extendit, Armenijs exequentibus peractum eſſe hoc miniſterium, intelligimus ex Claudiano, cuius illa ſunt l. 1. in Eutrop.

*rapitur caſtrandus ab ipſo*
*Vbere, ſuſcipiunt matris poſt viſcera pænæ.*
*Aduolat Armenius, certo mucrone, reciſos*
*Edoctus mollire mares, damnóque nefandum*
*Aucturus pretium.*

( Habebantur enim pretioſiores, vnde & cariùs vendebantur execti pueri: )

*Fœcundum corporis ignem,*
*Sedibus exaurit geminis; vnóque ſub ictu*
*Eripit officium patris, noménque mariti.*

5. Sunt qui, homines, bruti huius vſus exemplum, à brutis accepiſſe dicant, vt pleraque alia. Nam venæ inciſionem ab Hippopotamo didicimus. Artem perluendi ventrem, qua parte ciborum reliquiæ depelluntur, ab auicula Ægyptia petitam, Plinius notauit l. 8. c. 26. & 27. Videſis alia annotata in ſcalis à viſibili creatura ad Deum Gradu 9. pag. 249. Inter hæc ergò homini à brutis petita, numerant exſectionem. Plinius l. 8. c. 30. & Hyenæ, & Fibro, ſeu Caſtori, id tribuit. [ Mares ( inquit de Hyæna, ) in eo genere ſinguli, fæminarum gregibus imperitant. Timent libidinis æmulos, & ideò grauidas cuſtodiunt, morſúque natos mares caſtrant. Contra grauidæ latebras petunt, & parere furto cupiunt, gaudentque copia libidinis. Eaſdem partes ſibi ipſi Pontici amputant Fibri, periculo vrgente, ob hoc ſe peti gnari. *Caſtorium* id vocant Me-

Digitized by Google

dici.] Et annuit de Caſtore Iuuenalis Saty. 12. cum ait;

*Imitatus Caſtora, qui ſe*
*Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damno*
*Teſticulorum, adeò medicatum intelligit inguen.*

Idem habet Apuleius l. 1. Mileſ. agens de Theſſalæ veneficæ ira in amaſium, nec non Solinus in Polyhiſtore, deſcribens bruta quæ tanguntur inuidia. Sed fabulam eſſe quod de Caſtore proditur, dixit Sextius quem *diligentiſſimum medicinæ*, vocat Plinius l. 32. c. 3. Fabulam item vocat Albertus Magnus, itémque Brodæus l. 3. Miſcell. c. x. qui ait, tantùm abeſſe vt poſſit Caſtor ſuos ſibi teſtes amputare; vt ſi maximè velit, ne eos quidem poſſit prærodere abſque certa ſui pernicie, adeò exiles ſunt, & ſpinæ firmiter adhærentes.

6. Ratio altera Eunuchiſmi factitij, ſita eſt in frigefactione iuſto maiore, vt dictum eſt circa Eunuchiſmum natiuum. Vnde quia cicuta excellenter frigefacit, ideò *gelidas cicutas* vocat Iuuenalis Satyr. 7. & ſuccum ex eius foliis ac ſemine, vi refrigeratiua inſigni pollere, notat Plinius l. 25. cap. 13. Athenienſis hierophanta, vt eſt apud S. Hieronimum l. 1. in Ioan. cicutæ ſorbitione ſe euirabat. Nec deſunt, qui Origenem non ferro, ſed cicutæ hauſtu ſe Eunuchizaſſe prodant. Tametſi verò cicuta præ exquiſito frigore poteſt mortē inferre, vt mors Socratis docet; tamen temperari poteſt ita, vt non ſit lethalis, vt oſtendit Mercurialis 2. Variar. c. 4. exponens ibidem l. 2. c. x. quomodò ſturni cicuta adeò frigida nutriri poſſint; id quod de capra ait Lucret. lib. 3. Hoc poſſumus confirmare ex illis quæ de S. Iuſtino Philoſopho & Martyre, ſunt prodita. Nam S. Iuſtinum hauſiſſe propinatam cicutam monſtrant illi de eo verſus in Menæis Cal. Iunij.

*Cicuta mortem ſæua Iuſtino attulit*
*O qui dederunt, ebibiſſent ſi priùs.*

Conſtat tamen S. Iuſtinum non obiiſſe ex ea cicutæ ſorbitione, cum ibidem addatur, fuiſſe S. Iuſtino illatam necem, reſecto capite. Quam apparentem in paucis lineis repugnantiam ſic ſuſtuliſſe ſibi viſus eſt Petrus Halloix ad vitam S. Iuſtini, exponens eam ſæuam cicutam de inuidia Creſcentis Cy-

nici, qua ſancto viro creauit interitum. Sed ea cicutæ notio non poteſt ſubſiſtere. Nam ea ratione non S. Iuſtinus bibiſſet cicutam, ſed hoſtes eius quibus inerat tabificum inuidiæ venenum. Retinenda itaque eſt genuina cicutæ notio, & verè hauſtam à ſancto viro ſorbitionem illam, fatendum eſt; ſed ita tamen vt inde non obierit; vnde benè confirmatum quod dicebam, hauſtum cicutæ non ſemper eſſe lethalem. Hauſta igitur citra vitæ exitiũ cicuta, impotentes ad virile opus ſe reddebant nonnulli. Admotione aliorum exquiſitè frigidorum, idem præſtari poſſe non eſt dubium; nec non alijs calori quantùm neceſſe eſt minuendo accommodatis. Et hac ratione, dæmonibus cooperarijs, malefici matrimonijs plerumque ſunt infeſti, vt docet totus titulus de frigid. & malefic. confirmántque multa experimenta, quæ ſuffragio Doctorum roborata dedi in Natur. Theol. diſt. 4. num. 292. multáque etiam ad idem proferunt Abul. in c. 19. Matth. q. 90. Sanches l. 7. de Matr. diſp. 107. 108. 109. ac Delrio l. 3. Mag. q. 4. ſ. Ex antiquioribus videndus Hincmarus Opuſc. de diuortio ad interrogat. 15. qui de hac mangonia in debilitatione coniugum per maleficas, quas *geniciales fœminas* vocat, habet complura.

### §. 3. *Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.*

1. Tertiam continentium claſſem conſtituunt *voluntarij Spadones* vt loquitur Tertullianus l. de patientia c. 13. & l. 1. ad vxorem c. 6. ij ſcilicet qui neque per artem, neque per illatam arte humana violentiam: abhorrentes ab vſu ſexuum, vltrò tamen diligunt continere vt Deo placeant auertantque à ſe, damna ab eo vſu prodire ſolita. Annumerat his Eunuchis S. Hildefonſum, Cixillas Toletanus, cum ait de eò. [ Ab ipſis incunabulis, ab ineunte ætate, Eunuchus permanens, magnum in ſe præparauit habitaculum: qui non manubrio, vel manu, ſed diuino ſecatus eſt gladio: nec ingenio ferramentorum ſecauit libidinem; ſed munere cœleſti, promeruit ſanctitatem. ] Igitur Eunuchi ſpirituales de quibus in hac tertia claſſe agimus, neque vi, neque manu artificis ſunt exciſi.

Digitized by Google

Non tamen excluduntur ab hac claſſe, qui in primam, & ſecundam ſunt relati, ſi ipſi quoque, ferentes patienter ſtatum ſuum, libera voluntate adament continentiam, ad quam ex neceſſitate adiguntur. Doctrina eſt S. Baſilij l. de vera Virginit. vbi præmiſſis prærogatiuis ac donis diuinis, in eos (vt vocat) *ſacros & ſpirituales Eunuchos*, qui ex neceſſitate non continent, à Deo effundendis addit. [ Eiſdem muneribus ne illi quidem fraudabuntur, qui in ætate puerili tyrannica manu violenter abſciſſi ſunt, ſi in ea quam in corpore non ſponte pertulerint conſtituti; voluntaria poſtmodùm ſeipſos abſciſſione caſtrauerint, vt ſabbatizent ab omni omninò vitio, & ea eligant quæ Deus vult, & mandatorum eius teſtamentum teneant: Quippè animi virtute nequaquam inuenti infæcundi, locum habituri ſunt in domo Domini, meliorum filijs & filiabus, neque ultrâ lignum aridum pro infæcunditate carnis exiſtimandi ſunt, ſed vt virentia arbuſta plurimis iuſtitiæ fructibus omni ex parte redimiti. *Plantati enim* (inquit) *in domo Domini, videbuntur; in atrijs Dei noſtri florebunt.* ] Non eſt igitur cur non accenſeantur Euangelicis Eunuchis, qui in prima & ſecunda Eunuchorum ſerie ſunt collocati, ſi reperiatur in ipſis quod cæteros in hac tertia ſerie conſtituit, nempè caſtratio per voluntatem propriam ob regnum cælorum. Sed quid ſit ea caſtratio, explicatiùs tradendum eſt.

2. Reijcienda verò in primis eſt, ſententia Caſſiani, qui Collat. 22. c. 6. *egregios* (vt vocat) *& laudabiles Eunuchos*, ab Iſaia c. 56. deſcriptos, quos eſſe illos ipſos à Chriſto tertio loco recenſitos, de quibus agimus, communis eſt Patrum aſſertio, conſtitui putat per apathiam in hoc genere. Vnde caput ea clauſula obſignat. [ Illi egregij atque admirabiles reputantur Eunuchi; non qui metuunt, ſed quibus non licet fornicari; nec qui impudicitiæ reprimunt fræna; ſed qui ipſam quoque minimam mentis titillationem, & tenuiſſima libidinis incitamenta vicerunt, & eo vſque extenuarunt illum carnis (vt ita dixerim) ſenſum, vt non ſolùm ex commixtione eius nulla oblectatione, ſed ne exigua quidem titillatione tangantur. ] En verticem illum perfectæ pacis in genere continentiæ, quem idem

idem Caſſianus collat. 12. c. xi. deſcribit, cum caro non vltra concupiſcit aduersùs ſpiritum, & inuicem pace firmiſſima fœderati habitant fratres in vnum, corpus ſcilicet & anima, & obſtupefacto poſt colluctationem femoris neruo, ad Iſraelis meritum, & terrenum paradiſum perpetua cordis directione conſcenditur.]

3. Aiebam, hunc Eunuchiſmum Caſſiani, eſſe reijciendum; tantum abeſt vt ſit ille ſpiritualis Eunuchiſmus tertio loco à Chriſto recenſitus, & tanquam aliquid eminens, & cuique ambiendum commendatus à Domino. Perſpicuè enim ea Caſſiani doctrina ſordet errore apathias, impugnato in Morali diſt. 3. à n. 28. Poſt S. Hieronimum Epiſtola ad Creſiphontem, creditum Cyprianum ſerm. de ratione circumciſionis, Antiochum hom. 79. & Climacum Euagrij hac in parte ſtoici, impugnatorem. Mirum verò eſt, Dyoniſium Cartuſianum in notis breuibus ad Climacum ſententiam Euagrij attribuiſſe S. Climaco, pro quo, iure & benè pugnat Raderus in librum de Paſtore ad c. 4. Apòſtolos ſanè & veteres illos Monachos, continentiſſimos fuiſſe nemo eat inficias. Et meritò eos ſpiritualibus Eunuchis (de quibus Chriſtus tertio loco,) annumerat S. Epiphanius hæreſi 15. quæ eſt Valeſiorum; ipſúmque Paulum tanquam continentiæ Chriſtianæ exemplar, Tertullianus *Caſtratum* vocat l. de Monog. c. 3. Chriſtianis omnibus perfectis, idem nomen attribuens ibidem c. 1. Et tamen Apoſtolus, ſentiebat in membris aliam legem repugnantem legi mentis; & fatebatur ſe colaphizari ab Angelo Satanæ, quem grauiſſimi DD. de tentationibus & rebellione carnis aduersùs ſpiritum non dubitarunt exponere; malè alijs pro Paulo erubeſcentibus, ad vexationes perſecutorum, vel ad corporis ægritudinem referentibus eum ſtimulum carnis. Non ita grauiſſimi Patres ac interpretes, vt S. Hieronimus epiſtola ad Euſtoch de cuſtod. virgin. & informans Ruſticum epiſtola 4. c. 3. nec non epiſtola ad Demetr. de virgin. S. Auguſtinus conc. 2. in Pſal. 58. creditus Cyprianus ſerm. de rat. Circumciſionis, Beda, Haymo, creditus Anſelmus, S. Thomas, Lyranus 2. Cor. 12. & ibidem fusè Cornelius ad verſ. 7. vbi etiam Eſtius, nec non



Digitized by Google

Bellarminus l. de Monachis c.30. De S. Gregorio Nazianzeno viro ſanctiſſimo, quod ob huiuſmodi carnis rebellionem, etiam in extrema vita gemeret, liquet ex Oratione eius de S. Baſilio *ad finem*, & alijs locis, quæ ſignantur in lucubratione de ſobria frequentatione alterius ſexus per ſacros homines. Multa alia exempla, in Cœcitate Oculata, proferuntur, num. 22. Aut igitur hæc ſanctitatis faſtigia, à ſerie ſpiritualium Eunuchorum à Chriſto collaudatorum ſemouenda ſunt, quod nemo auſit effutire; aut fatendum eſt, inſenſibilitatem illam, quam ex Caſſiano expreſſimus, alterius duntaxat, non huius militantis vitæ propriam, non conſtituere vltroneam caſtrationem à Chriſto collaudatam.

4. Vera igitur expoſitio illius ſpiritualis Eunuchizationis, ea eſt, qua homo vltrò abſtinet ab omni prorsùs libidine, etiam licita in coniugio: & tametſi neque ex naturæ imperfectione, neque ex illata violentia ad eam impos, tamen non secùs à ſe abdicat omnem poteſtatem quomodolibet violandi continentiam, quam ſi natura, vel arte Eunuchus eſſet. Non ſunt autem eiuſmodi, qui duntaxat ad tempus continent, vt vacent orationi, iuxta conſilium Apoſtoli 1. Cor. 7. Nec qui religione temporaria præſtolantes opportunitatem coniugij, non prætermittent cum ſe dabit eius occaſio, carnem ſuam frænant ad tempus, vt faciebant olim veſtales, quæ in adoleſcentia, externa ſaltem ſpecie continentes, erant poſtea impudicæ iam anus, vt dixit S. Ambroſius l. 1. de virg. & benè etiam Prudentius l. 2. contra Symmach. ſect. 8. Nec denique ad illam abdicationem voluptatum qua Eunuchiſmum myſticum conſtituebam pertingunt, qui continentiam ſeruant ex ſimplici propoſito; mutabilitatem cum libuerit, admiſſuro. Ij ergò duntaxat, ad tertium Eunuchorum ordinem à Chriſto propoſitum pertinent, qui voto perpetuæ continentiæ emiſſo, ſibi ipſis eripuerunt poteſtatem, licitè deinceps vtendi corpore, etiam in connubio legitimo, & thoro immaculato; duplici iniquitate contaminandi, ſi ſecùs faciant; nempè altera contra temperantiam, altera contra religionem. Hi ſanè ſunt, qui caſtrantur propter regnum cælorum, immiſſo ſibi cultro voti.

Digitized by Google

5. Exhibent iſti ſeipſos, Caſtores myſticos, iuxta protritam de Caſtore narrationem. Vt enim ſe in tuto collocent, & perſequentis Satanæ violentiam, ac inſidæ carnis pedicas declinent, faciunt quod Caſtor facere dicitur, vrgente venatore, vt didymos rei medicæ peropportunos, ob quos vrgetur, auellat. Conſcium enim animal intenti venatoris, exſcindit abijciens in venatoris faciem, ſuæ à venatore perſecutionis ſolam cauſam. Canem Ponticum vocant alij vt Sencius notauit ad illud primi Georg. *viroſáque Pontus Caſtorea.* Et quia ad Ponti oppidum Bebrianum, frequentes ſunt huiuſcemodi Caſtores, inde plerunque pro Caſtore *Bebrius*, & pro pelle Caſtorina *pellis Bebrina* dicitur, vt notat vetus Iuuenalis Scholiaſtes ad locum mox proferendum ex Iuuenale; rectè tamen correctus à Franciſco Aleonardo in obſeruationibus ad regulam 7. S. Cæſarij, quatenus Bebricium Ponti tractum (à quo *Bebrum* & *Bebrinæ pelles,*) confundit cum *Bebriaco* Italiæ vico, vbi nulli ſunt Caſtores. Hoc ergo Caſtoris factum, Petrus Damian. l. 2. Epiſto. 18. Ait eſſe Symbolum Caſtrantis ſeſe myſticè, vt locet in tuto ſalutem, ſubducens ſe à tentationibus laſciuiæ, quibus homines merguntur in interitum & caſſibus Satanæ irretiuntur. Inducit ergò perſonam continentem, quæ cultro voti abſcidit à ſe luxuriæ ſeminarium, Satanæ inſultantem, quaſi deinceps non habeat: vnde ea ex parte ipſam vrgeat, eo quod audita voce Domini per Iſaiam c. 56. qua Eunucho myſtico ſpondentur inſignia præmia, à Chriſto firmata Matth. 19. Lubens volens à ſe reciderit interuentu voti, radicem luxuriæ; quod eſt eſſe ſibi Caſtorem myſticum. Dictus quippè eſt *Caſtor* à *caſtrando*, & exſecando ſeſe, ob cauſam prædictam, iuxta Iſidorum l. 12. Orig. c. 2. qui ad hoc adducit Tullium in Scauriana, & Iuuenalem, cuius illa de Caſtore profert ex Satyra 12.

*Qui ſe,*
*Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damnum*
*Teſticuli.*

Verum eſt hanc de Caſtore narrationem, falſitatis inſimulari ab Alberto in opere de animalibus, & à Brodæo ex αὐτοψία con-

tratium probante 3. Miſcell. c. x. Tamen non refugiunt Sancti, protritas narrationes, ( vt de Phænice, de Aſpide ſurda, de vipera in partu diſrupta) etiamſi falſitate laborantes, vt fructum ad mores colligant, ex ſuppoſitione eius quod vulgò circumfertur. Sic igitur per votum homo fit Caſtor myſticus, & caſtrat ſeſe.

6. Et quamuis nonnulli ex Patribus, & nominatim S. Auguſtinus l. de ſancta Virgin. c. 23. & 24. & Rupertus l. 1. in Deuter. c. 22. ad hanc caſtrationem, videntur eſſe contenti *propoſito* ſic continendi, tamen ſumunt *propoſitum* pro robuſta voluntate nexibus voti firmata; abſque quibus nexibus non intelligeretur perpetua & deinceps immutabilis reciſio voluptatum, qualem poſtulat myſtica caſtratio, analogica corporeæ. Diſertè ſanè S. Auguſtinus eodem libro de ſancta Virginitate c. 36. Collaudans agmina Sanctorum atque Sanctarum virginitati mancipata, ait alloquens Deum. [ Quod non iuſſiſti, ſed tantummodò volentibus arripiendum propoſuiſti dicens, *qui poteſt capere, capiat*, arripuerunt, vouerunt, & propter regnum cælorum, ſeipſos, non quia minatus es; ſed quia hortatus es, caſtrauerunt.]

7. Rectè verò qui ſic vouerunt & abs ſe abdicarunt in perpetuum omnem poteſtatem explicatam, dicuntur caſtrare ipſimet ſeipſos, quia ne Deus quidem eos adigebat ad tantam abſtinentiam quin potiùs Geneſ. 1. poteſtatem cuiuis fecit propagandi ſpeciem, & in eum finem benedixit primis coniugibus, mandans vt creſcerent, & multiplicarentur & replerent terram. Poſt terram tamen impletam, valdè gratum habet, ſi quis ſponte ſua libertatem indultam deuinciat hac in parte, nihil tamen præcipiens in re tam ardua; Ex quo capite S. Baſilius l. de vera Virgin. S. Hieronimus l. 1. in Iouin. & ſæpè S. Chryſoſtomus continentiæ huius Euangelicæ dignitatem æſtimant. Qui igitur donatus à Deo libertate fruendi honeſta voluptate, ex ſexus ſui vſu legitimo, renuit tamen ea libertate vti; & dante Deo ( vt habetur Matth. 19. ac Sapientiæ 3. id eſt, gratiam & vires ad id præſtandum ſuppeditante ) abdicat à ſe omnem prædictam poteſtatem vtendi corpore,

Digitized by Google

abdicationem illam faciens ex voto perpetuo, in Dei cultum concepto; is propriè eſt, qui caſtrat ſeſe propter regnum cælorum. Ita Petrus Bleſenſis ſerm. 9. Ianſenius c. 96. Conard. proferens aliquos Patres, Bellarminus l. de Monach. cap. 23. adducens SS. Epiphanium, Hieronimum, Auguſtinum, Fulgentium: & ſubſcribunt. Proſper Stellarius libro cui titulus *Fundamina Ordinum* cap. 2. ac Franc. Lucas Matth. 19. v. 12. & ex Iuriſperitis Gul. Benedictus ad c. *Raynucius* V. *qui cum alia* num. 20. adducens id latè verſantem Lucam de Penna in l. *iubemus* C. *de Præpoſ. ſacri cubic.*

8. Annuunt, quotquot eos, qui ſeruant ex voto caſtitatem, vocant *Eunuchos*, & *caſtrari* dicunt. Sic enim Athenagoras in apol. pro Chriſtian. profeſſionem virginitatis, vocat *Eunuchiſmum*. Et S. Hieronimus ſcribens ad Euſtochium de cuſtodia Virgin. memorans ſuam monaſticam profeſſionem, ait, *cum propter cælorum me regna caſtraſſem.* Et ſcribens ad Heliodorum ex milite Monachum, *cum derelicta militia, te caſtraſti, propter regnum cælorum, quid aliud quàm perfectiorem ſecutus es vitam?* Non refero ad hanc mentem cum nonnullis locum ex Prato ſpirituali c. 19. & 165. Vbi memoratur *cænobium Eunuchorum* propè Iordanem. Nihil enim eſt neceſſe, ibi *Eunuchorum*, vocem idemſonare atque *Religioſorum*: Quomodò enim alia cænobia, nuſquam alibi legerentur dicta, *cænobia Eunuchorum?* Fortè ergò ea denominatio manauit à Fundatoribus cænobij Eunuchis: Vel ab aliquibus Eunuchis inibi degentibus, appellatio tracta eſt ad totam domum, ſcommate populari: quamuis neque in communi ſermone, Religioſi dicerentur *Eunuchi*, vt cenſuit Lezana t. 2. Annal. Carmelit. in Apparatu c. 4. num. 15. Neque vnum illud cænobium videatur ex ſolis Eunuchis coaluiſſe, cuius inſoliti moris nullum extat indicium, niſi quod ducitur ex cænobij appellatione, quæ (vt dixi) facilè aliter exponi poteſt.

9. Ratum igitur eſto, Eunuchos rectè dici, & myſticè caſtratos, qui ex voto continentiam colunt propter regnum cælorum. Obſignet hunc veterum de tertio Eunuchiſmo ſenſum Petrus Bleſenſis, cuius illa ſunt Epiſtola 55. ad Adelitiam

Digitized by Google

ex captatrice connubij Monialem, cui primùm miſerias nuptiarum graphicè exhibet, tum ſubdit. [ O quantò beatior eſt, eorum conditio, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, quorum laus eſt in Euangelio; quibus dulcior eſt amor Chriſti, quàm numeroſitas filiorum: Audi quid dicat de talibus Eſaias. *Non dicat* (inquit,) *Eunuchus, ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis; dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus.* Eos vocat Eunuchos, tam propheticus, quàm Euangelicus ſermo, qui ſe pro amore Chriſti, voto continentiæ aſtrinxerunt. Olim dictum eſt, *creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Et. *Maledictus qui non reliquerit ſemen ſuper terram.* Ideò filia Iephte tanquam maledicto legis obnoxia, exortem poſteritatis ſuæ pudicitiam deplorabat. Veruntamen ex quo venit Dominus legis, legem adimplens non ſoluens; ex quo vox turturis audita eſt, & præco pudicitiæ Paulus conſilium de Virginitate dedit, impleuerunt nuptiæ terram, & pudicitia paradiſum. ]

10. Non fuit hic Eunuchiſmus ante Chriſti ætatem. Decuit enim, vt Chriſtus quem Tertullianus l. de Monog. c. 3. vocat *Spadonem*, hoc culmen continentiæ anterioribus ſæculis non viſum inferret mundo. Nec refert quod Iſaias c. 56. tam magnificè extollat Eunuchos myſticos, ſpondens illis ex Dei nomine ſortem in templo Dei acceptiſſimam, & nomen melius à filijs & filiabus. Eunuchi enim, de quibus agit Iſaias, (quicquid in contrarium latiſſimè diſſerat Lezana t. 1. Annal. Carm. ad annum 3341.) ſunt ipſi myſtici Eunuchi, ſiuè continentes ex voto in lege noua, vt ibi Leo Caſtrius, & Gaſpar Sancrius, paſſimque cæteri interpretes monuerunt. Apud Iudæos tamen, quibus magna gloria erat habere ſemen in Iſrael, & infœcunditas maledictioni deputabatur, vt rectè librat, Arnoldus Bonæ vallis in B. Mariæ laudatione, nullos tales fuiſſe Eunuchos ab Iſaia deſcriptos, notauit S. Auguſtinus l. de Sanc. Virginit. cap. 24. Pauci quidem in ea lege, cuius Moyſes & Aaron homines coniugati ductores fuerunt, egerunt vitam cælibem, vt Elias, & fortè Eliſæus, quorum vxores non memorantur. Et iuxta pleroſque Patres, in ſexu fœmineo Maria

Digitized by Google

ſoror Moyſi vixit ſemper cælebs ac virgo. Sed hæ raræ aues fuerunt, quarum numerus non excreſcit. Et Mariam S. Iſidorus Peluſ. l. 3. epiſto. 52. *Sororem Moyſi* dictam putat, quia erat ei cognata, quippè Aaronis fratris vxor, ac proinde iuxta S. Iſidorum non erat virgo. Si tamen hoc torrenti cæterorum dare libeat, quod Maria non fuerit vxor Aaronis, ſed virgo manſerit; (ſicut re vera illud quod S. Iſidorus aſſerit, minùs cohærere videtur cum Scriptura Num. 26. v. 59.) dicendum erit, & Mariam, & paucos viros in antiqua lege cælibes, ita ſeruaſſe pudicitiam ex virtute temperantiæ, vt non adiunxerint decus religionis, quia non erant cælibes ex voto: potuiſſéntque, ſi libuiſſet, poſt temporariam continentiam abſque ſacrilegio cælibatum abijcere. De Sancto quidem Ioanne Baptiſta, & Elia, ac Eliſæo, aliquandò legimus quod fuerint duces vitæ monaſticæ: ſed hoc verum eſt, ratione cuiuſdam prædelineationis veræ religioſæ vitæ votis illigatæ in Chriſtiana Eccleſia; non autem quod verè emiſiſſent vota, quibus ſtatus religioſus in noua lege conſtituitur. Et quod nonnulli inter quales religioſos legis veteris, munerant *filios*, id eſt, diſcipulos *prophetarum*, aliquoties memoratos in veteri Teſtamento, confirmat quod dico. Nam vxor vnius cuiuſdam ex his filijs Prophetarum, memoratur 4. Regum 4. Igitur vir eius, non erat cælebs ex voto, vt requiritur ad verum ſtatum religioſum; quem non cœpiſſe ante Euangelium, monſtratur in Opere de Apoſtaſia à religioſo ſtatu.

11. Tandem quod Chriſtus, agens de tertio Eunuchorum ordine ait, *ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, adhibens verbum temporis præteriti, erit quid trahat ad anteriores tales Eunuchos. Sed hoc non retundo, dicens, Chriſtum adhibuiſſe verbum *ſunt* præſentis temporis, quod non minùs poſſit trahere ad tempus præſens, verbum illud externa ſpecie præteriti temporis *caſtrauerunt*, quàm vice verſa. Hanc reſponſionem non adhibeo, tametſi dici poſſet eam comprobari in B. Virgine, quæ cum Chriſtus loqueretur iam vouerat, vt mox dicam. Ea itaque reſponſione prætermiſſa, ſuppetit alia quod Chriſtus vt Ianſenius c. 96. concor. benè perpendit,

Digitized by Google

vſus ſit verbo præteriti temporis; ad inſinuandam voti emiſſionem. Nam ſi dixiſſet, *qui ſe caſtrant*, ſignificaſſe videretur, certantes ac luctantes aſſiduè cum concupiſcentia, vt faciunt qui continent abſque voto. At illud *qui ſe caſtrauerunt*, præfert inuiolabile continendi votum. Eſt & alia reſponſio, expeditiſſima, & commodiſſima; nempè quod Chriſtus loquens de profeſſoribus continentiæ religioſæ non ita multò poſt prodituris, adhibuerit verbum præteriti temporis, pro verbo temporis futuri, loquens more ſcripturæ in qua ſæpè tempora confunduntur, & futurum pro præterito ponitur, ac vice verſa præſens & præteritum pro futuro, ad monſtrandum omnia penes Deum eſſe præſentia, & tantam eſſe certitudinem futuri, quanta eſſet, ſi iam exiſteret. Quod notauit S. Auguſtinus l. de corrupt. & gratia tractans illud ex c. 45. Iſaiæ iuxta 70. *qui fecit quæ ventura ſunt.* Et idem habet in Pſal. 3. ad v. 6. & l. de Agone Chriſti c. 27. & quæſt. 16. in Num. & alijs pleriſque locis, conſentiuntque Greg. Nyſſenus hom. 5. in Cant. Chryſoſtomus t. 5. Græcol. ſerm. in illud *Pater ſi poſſibile eſt*. Fulgent. l. 1. ad Monim. c. 12. Ac proinde in loco, quem excutimus, verbum præteriti temporis, ſignat ſtatus religioſorum continentium non ita multò poſt conſecuturi, perfectionem in genere continentiæ antea non viſam, extra B. Virginem, quæ quod vnum cum Chriſto faciat, & *legis Euangelicæ proœmium* fuerit, ( vt Græcorum officium de ea loquitur in feſto Præſentationis, ) non eſt cenſenda labefactare quod iam dixi.

12. Rectè ſanè B. Virginem fuiſſe annumeratam Euangelicis continentibus, qui ex voto illibatam pudicitiam Deo conſecrant, certa traditio eſt, quam ex illo Virginis reſponſo ad Angelum *quoniam virum non cognoſco*, rectè firmant Caniſius l. 2. Marial. c. 14. Bellarm. l. de Monach. c. 22. Toletus in c. 1. Lucæ annot. 94. & ibidem optimè Franc. Lucas. Et aſtipulatos eſſe Patres, monſtratur in Diptychis Marianis parte 1. puncto 3. num. 2. quibus addo Bleſenſem ſerm. 28. & Arnoldum bonæ vallis in Deiparæ laudatione. Quinimò ( quod ad anteriora conſequitur, ) B. Virginem abſolutè in vtroque ſexu omnium primam vouiſſe Virginitatem, latè aſtruitur ibidem num. 3. proferendo

Digitized by Google

proferendo ex antiquis multos Patres, & ex recentioribus eximios ſcriptores; quos inter qui diligentiam hac in parte ſuam valdè probauit, Sherlogus Tomo 2. in Cant. veſtig. 20. ſect. 2. ac Tomo 1. antelog. 7. ſect. 12. vix aliquid reliquit adiungendum. Non prætereo tamen, id videri voluiſſe qui dixerunt Deiparam fuiſſe, *vexilliferam virginitatis*, & *primitias virginitatis.* Diſertè verò ita ſenſit Petrus Abelardus cum iam ſaperet ſerm. de Aſſumpt. Item in Actis S. Catharinæ Senenſis apud Surium. 29. Aprilis refertur, fuiſſe ei reuelatum, quod B Maria omnium prima Virginitatem nouerit. Qui autem deinceps hanc religioſæ caſtitatis vexilliferam ſecuti ſunt, [ Se Spadonatui aſſignantes ( ait Tertull. l. de cultu fœm. c. 9.) propter regnum Dei tam fortem & vtique permiſſam voluptatem ſponte ponentes; ] multiplicati ſunt ſuper numerum.

## CAPVT III.

*Eunuchiſmi natiui bona & mala naturalia, factitio ferè communia.*

PRæmiſſa hactenùs notione triplicis Eunuchiſmi, ad ſingulorum bonitatem, & malitiam eſt progrediendum. Quanquam circa Eunuchiſmum natiuum, non eſt quærenda bonitas aut malitia moralis, quæ in ijs duntaxat locum habent, quæ ſunt liberi arbitrij. Ac proinde qui ita luxati ſunt à natura, exortes ſunt culpæ, vt diſertè tradit S. Epiphanius hæreſ. 58. *circa primum genus Eunuchorum.* Quinetiam nullam irregularitatem ea ex cauſa contrahunt, vt malè cenſuit Cornelius Sap. 3. v. 14. refragantibus paſſim Theologis Moralibus & Canonum peritis, vt tradunt Harmenopulus l. 2. Epitomes c. 8. Couarruuias, & Nauarrus quibus inhæret Layman l. 1. tract. 5. parte 5. cap. 7. num. 5. Si quæ ergò bonitas & malitia Eunuchiſmum natiuum affectatur, alia



Digitized by Google

eſſe non poteſt, quàm quæ commodis & incommodis eius continetur; quæ commoda & incommoda, ſiuè bona & mala, Eunuchiſmo item factitio ferè adiunguntur, vt propterea ea hìc communiter tractanda videantur, annotando tamen quæ peculiariter ad natiuum pertinere videbuntur.

### §. I. *Animæ & corporis commoda & incommoda ab Eunuchiſmo.*

1. Omnia in terris permiſta eſſe bonis ac malis, commodis & incommodis, atque adeò nihil hìc purum eſſe, omnia miſta, ſententia fuit Pythagoræ apud Iamblichum in eius vita, quam ſententiam rectè illuſtrat S. Bernardus initio ſermonis de proceſſione in ramis Palmarum, & Richardus Victorius in Pſal. 74. ac l. de ſtatu inter. hom. c. 27. Hoc ipſum ergò noſtratibus omnibus rebus commune, deprehendi in re dequa agimus, monſtratum venio, ducto initio à bonis, & commodis.

2. Bona & commoda Eunuchiſmi, eò ferè reduci video, quod Eunuchi, & in anima, & in corpore, immunitates quaſdam habent non deſpiciendas. Et in primis quoad animam, Eunuchi nati, ac etiam ij factitij qui maturè exſecti ſunt, ſortiuntur mitiorem concupiſcentiæ rebellionem. Tametſi enim hi quoque, non carent interdùm labe in hac parte, voluntate & affectu prolabentes, tamen ob frigiditatem, quam Eunuchiſmus infert, habent incentiuum peccati multò debilius; quod non eſt exile bonum, quandoquidem ſi fomes peccati præ corporis remiſſo calore eſt minus aptus ad concipiendam flammam, ſegnior haud dubiè ac moroſior erit vſtio, faciliúſque auerti poterit. Magnitudinem autem huius boni, perſpectam habuerunt, qui colluctantes cum carne æſtuoſa & flagrantis temperiei, infœliciſſimos ſe pronunciauerunt præ reſiſtendi difficultate. Etenim lucta ærumnoſiſſima, vt dico in Muſca Ægyptiaca; & comprobauit experimento ſuo Pachon Monachus qui referente Palladio c. 29. Lauſ. præ difficultate ac propè deſperatione reſiſtendi, captauit vorari ab Hyæna, ſubiens vltrò eius latibulum; & aſpidem quoque prehenſam admouit genitalibus, vt demorſus ab ea moreretur, ac finem

Digitized by Google

denique ærumnoſo certamini poneret. Quantoperè item Abbas Moyſes diſcruciatus ſit in hoc genere, deſcribit latè Palladius c. 22. Lauſ. Non eſt ergò exiguum commodum, quod hanc ob cauſam, animæ obuenit ab Eunuchiſmo.

3. Inde tamen boni huius decus deterit Nazianzenus orat. 31. quod caſtitas Eunuchorum, naturæ potiùs imperfectionem, quàm virtutem redoleat. Vnde ſic affatur Eunuchos. [Ne admodùm magnificè de vobis ſentiatis, qui à natura Eunuchi eſtis. Non enim explorata eſt, nec caſtimonia periculo facto comprobata. Bonum enim quod à natura proficiſcitur, laudem non meretur: quod autem à libera voluntate animique inſtituto fluit, id demùm laude dignum exiſtimandum eſt. Quæ igni gratia eſt, quod vrit? Vrere enim à natura habet. Quæ aquæ quòd deorſum fertur? Hoc enim à ſummo rerũ omnium opifice habet. Quæ niui gratia habenda eſt, quod frigida ſit? aut ſoli, quod luceat? lucebit enim, etiam inuitus mihi largire, vt quæ recta ſunt velis: largieris autem, ſi carne conditus, ſpiritualis efficiaris: ſi à plumbea carnis molè tractus atque depreſſus, à ratione in altum ſubleueris: ſi humilis creatus, cœleſtis inueniaris: ſi carni quaſi vinculis quibuſdam afflictus, ſuperior carne appareas.] Idem tradit Apollonius apud Philoſtratum l. 1. c. 21.

4. Quamuis autem Eunuchorum pudicitia, ob defectum camini interni, & caloris retuſionem, videatur minorem referre laudem; tamen cum neceſſitas in virtutem vertitur, ipſáque impotentia propter Deum adamatur, non caret ſuo præmio, vt ex S. Baſilio l. de vera Virgin. ſupra monui. Ad alias item virtutes, non modica aptatio, ex ſedatione animi temperiem non flagrantem, ac œſtro vacuam comitante conſequitur; vt propterea illuſtres plerique & magni in Eccleſia nominis, fuerint Eunuchi teſte S. Baſilio libro proximè notato *ſub finem*, benéque confirmatur recenſione multorum eximiorum ſanctorum, qui Eunuchi fuerunt. Qualem inprimis habemus illum à Luca Actor. 8. memoratum ſuper omnes gazas Candacis Æthiopum Reginæ conſtitutum. Fuiſſe enim non munere tantùm ac officio, (vt alios pleroſque ſic denominatos,) ſed etiam



Digitized by Google

corporis defectu Eunuchum, tradunt Irenæus, Cyrillus, Hieronimus, Auguſtinus, Tertulianus; Cenſétque Lorinus ad c. 8. Actor. id eſſe probabilius. Multis autem clarum miraculis, prædicationem Euangelij martyrio obſignaſſe, auctor eſt Dorotheus in ſynopſi. De SS. Calocero, & Partheno vxoris Decij Eunuchis, idem habent Tabulæ Eccleſiaſticæ 19. Maij, ac etiam de SS. Nereo, & Achilleo Fl. Domitillæ domeſticis Maij 12. & de SS. Protho, & Hyacintho S. Eugeniæ Eunuchis 11. Septembris S. Heſychium & ſocios fuiſſe Eunuchos, habet Euſebius. S. Iures Eunuchus annotatur in Tabulis 28. Decemb. & apud Nicephorum lib. 7. cap. 6. Neapoli in æde ſacra S. Patriciæ, neptis Conſtantini Magni, ad aram principem, legitur marmori inſculptum hoc Epitaphium.

*Hìc duo Eunuchi, & nutrix Aglaia quieſcit*
*Patriciæ, fœlix térque quatérque cohors.*

Corpora horum SS. Eunuchorum incorrupta & integra perſtare ſcribit Carolus ab Engenio in Neapoli ſacra, cum de templo S. Patriciæ, Theodori Eunuchi miraculum narratur c. 173. prat. ſpirit. S. Tigrius Presbiter, S. Chryſtomo coniunctiſſimus, fuit Eunuchus teſte Sozomeno l. 8. c. 24. & Nicephoro l. 13. c. 21. S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus Photij ſagittarum ſcopus Eunuchus fuit; ſicut etiam Methodius Conſtantinopolitanus per viſionem à S. Petro Eunuchus factus, vt ſcribit zonanas in Michaele Theophili filio. Fuit item Eunuchus, Macedonius (alius ab Hæreſiarcha) Antiſtes Conſtantinopolitanus, vt ſcribit Nicephorus l. 16. c. 26. Æquè S. Germanus Conſtantinopolitanus, Eunuchus fuit mandante Conſtantino Auguſto, qui eius patrem ſuſpectum factum, letho dederat. S. Melito Sardenſis, in eamdem ſeriem referendus eſt, vt inſinuat Euſebius 5. hiſtor. cap. 27. nec non Dorotheus Præſul Antiochenus. De SS. Ioanne, & Paulo Conſtantiæ aulicis, bonis coniecturis idem firmat Laurentius Pignorius l. de ſeruis *pag. mihi* 185. De Eunucho admirandæ ſanctitatis & conuerſationis, etiam inter puellas, meminit Leontius in Actis S. Ioannis Eleëmoſinarij. De SS. Confeſſoribus Chriſtianis iuſſu Imperatoris ante relegationem in metallum exoſtis,

Digitized by Google

meminit Euſeb. 8. hiſt. c. 17. Eſdras l. 2. c. 2. de ſeipſo dixit, quod erat Eunuchus Regis. De SS. Daniele Propheta & ſocijs Hebræorum traditione idem affirmat. S. Hieromimus l. 1. in Iouin. nec ſemel alibi, beneque id illuſtrat Pererius in c. 1. Daniel. ad illud; *& ait Rex Aſphanes* allegatis in eam rem pleriſque Patribus; tametſi abſolutè loquendo, anceps hæret, & vtriuſque partis argumenta ſolui facilè poſſe demonſtrat. Ex his perſpicuum eſt, quod dixi, pleriſque ſanctis nihil offeciſſe Eunuchiſmum, quominus virtute præcellerent, quinimò præ ſedatione animi, quam infert, eos potiùs aptauiſſe ad ſanctimoniam, quam ſunt conſecuti.

5. Voluntate per Eunuchiſmum à turbidis affectibus liberiore, intellectus purgatior in pleriſque euadens, doctrinæ & ſapientiæ ac prudentiæ gloria, Eunuchos non paucos cumulauit. Sedatis enim carnis motibus, tenuatur in eis ſpiritus, nec craſſeſcit, vt in voluptarijs, iuxta Originem hom. 2. in Pſal. 38. Vnde Plato teſte D. Auguſtino lib. de vera relig. c. 3. commendabat ſuis enixiſſimè vt cœnum libidinum declinarent, ſi quidem proficere in ſtudio ſapientiæ vellent, perſuaſi veritatem non corporeis oculis aut ſenſu aliquo, ſed ſola mentis puritate videri; ad quam percipiendam nihil magis eſſet impedimento, quàm vita libidinibus dedita. Vnde cælebs vixit ipſe, vt ſapientiæ ſtudio corporis puritas commodaret: tametſi (quod ibidem notat D. Auguſtinus) errorem communem illorum temporum veritus, ſacrificauit naturæ, vt tanquam peccatum illud aboleretur quod liberos non ſuſcepiſſet, contemptione nuptiarum. Vrget optimè hæc & alia Beſſarion l. 4. contra calum. Plato. in longo proæmio. Ad rem autem præſentem ſufficit, quod fuſiùs illuſtratur l. 6. de virtut. num. 165. & ſeqq. nec non à Michaele Medina l. 4. de continent. controu. 4. c. 16. intellectum qui libidinibus pecuatur atque bruteſcit, continentia acui: proindéque in Eunuchis, in quibus continentia tranquilliùs regnat, ſapientiam affundi intellectui vberiorem. Itaque Sidonius l. 1. Epiſtola 8. varia varijs tanquam accommodata aſſignans, adſcribit literas Eunuchis. Apud Perſas litterarum doctores, Eunuchi erant, non modò vſque ad

Digitized by Google

ſeptennium ætatis puerorum, vt ait. Plato in Alcibiade 1. ſed etiam vlteriùs, quod idem Plato habet l. de Legibus 3. orat. 31. Dio Pruſæus. Talis circa Themiſtoclis filios fuit Silinus, vt ſcribit Herodotus l. 8. & Menophilum quoque Eunuchum doctrinæ laude claruiſſe apud Mithridatem, proditum eſt. De Eutherio qui ſub Conſtante vixit, omni ex latere peritia ſuperior omnibus, iudice Ammiano lib. 16. alia addam infra. Dimiſſis verò Ethnicis, inter Chriſtianos doctrinæ nomine illuſtres, fuere non pauci Eunuchi, vt Ioannes Moſchus, Photius, Valerius, Reginaldus. Itaque quod apud Lucianum toto Dialogo *Eunucho*, Bagoas, quod Eunuchus eſſet, à philoſophiæ profeſſione ſummouendus contenditur, quaſi Eunuchus non poſſit eſſe Philoſophus; non eſt ſolidè conſtitutum; præſertim cum Diocles Eunuchiſmi exagitator, defectum dumtaxat barbæ, ad quam Ethnicum vulgus ſapientiam admetiebatur, opponat in contrarium. Sed error de barba philoſophiæ characteriſtica, exploſus eſt in prologo ad Moralem à n. 58.

6. Iam quoad corpus, numerari poteſt inter bona Eunuchiſmi, immunitas à lepra, morborum fœdiſſimo, vt teſtatur Archigenes lib. 13. c. 125. obſeruans, aliquos iam lepra correptos, ne gliſceret malum, ſe euiraſſe. [ Caſtratis enim non in peius malum ipſum procederet. Neque enim temerè reperias, vllum aliquem caſtratum elephantiaſi laborare; neque item facilè mulierem. Quare etiam quidam ex confidentioribus medicis, manum admouerunt: Et quotquot ſanè ex eis exſectione periculum euaſerunt, per conſequentis curationis vſum perfectè ab hac maligna affectione liberati ſunt. ] Rationem tamen, qua id confirmat Archigenes, Mercur. 3. var. c. 20. ridiculam & abſonam pronunciauit, addens rationem legitimam, quod Elephentiaſis, aut ( vt Ariſtoteles 4. de gener. anim. c. 3. loquitur) *Satyriaſis*, præcipuè oriatur ex caliditate & ſiccitate, cum iecoris, tum vniuerſi corporis, quæ cauſa eſt, cur lepra, Ægypto ſit admodùm familiaris. Cum ergò Eunuchi ſint frigidi & humidi, mirum non eſt, quod non ſint facilè obnoxij lepræ, alteriue vlli morbo, cuius origo ſit calor & ſiccitas.

Digitized by Google

7. Indidem manare cenſenda eſt, excluſio varicum ab Eunuchis, vt tradit Ariſtoteles ſect. x. probl. q. 37. Dicuntur *varices*, venæ laxiores in coxis & cruribus, quæ ex craſſo & melancholico ſanguine exiſtunt, vt eſt apud Galenum in librum 6. Aphoriſ. ad Aphoriſ. 21. qua in parte Ariſtoteles ait, Eunuchos quia temperamento pueros & mulieres referunt, carere hoc incommodo, quod in mulieribus rarum, in pueris nullum eſt. Non laborare mulieres hoc incommodo, niſi paucas, aut admodùm rarò, tradit idem Ariſtoteles l. 3. de hiſtor. anim. c. 19. & 1. de gener. anim. c. item 19. dicens, ſi quibus id accidit, ante menſurni profluuij tempus contingere. Id enim vbi contigerit, humor deprauatus ea via abſcedens, varices excludit.

Non diſſimilis eſt ratio, cur Eunuchi podagra non infeſtentur, quod multorum auctoritate firmat Tiraquellus ad l. 15. Connub. n. 45. & habet diſertè Ariſtoteles loco proximè annotato ex problematis, vbi benè Aponenſis. Quanquam teſtatur Galenus, ſuo tempore, & Eunuchos, & mulieres, ob intemperantiam, ſenſiſſe infeſtam podagram; à qua viua morte, (vt Caſſiodorus ſcitè dixit,) immunes haud dubiè fuiſſent, ſi ea vixiſſent temperatione, qua Hippocratis ætate: qui lib. 6. Aphoriſ. quia nondùm fræna abiecerant mulieres, teſtatur eas podagra non laboraſſe, ſecùs quàm poſtea contigit per exlegem vitam, vt & Eunuchis. Et ita ex recentioribus Ambroſius Paræus l. 18. c. 12. *in fine*. Affine eſt, quod Scalig. exerc. 277. n. 2. ait, capos qui caſtrati ſunt, podagra miris modis affici, quia puſillus eorum calor eſt, edacitas multa. Haud aliter ergò contingit capis hominibus, ob laſciuiam & victus ſolutionem; quam eſſe podagræ matrem, ſignificauit incertus l. 2. Anthol. cum Bacchum & venerem vocauit λυσιμέλεις, hoc eſt, *membra ſoluentes* & podagram gignentes, tanquam filiam, & ipſam λυσιμελῆ. Per ſe autem loquendo, & mulieres, & ijs habitu ac temperie confines Eunuchi, habent à podagra immunitatem.

8. Non eſt quærenda alia cauſa, cur Eunuchi non caluеſcant, vt habetur ex Hippocrate l. 6. Aphor. & l. de natura pueri, & ex Ariſtotele l. 3. hiſtor. anim. c. xi. ac ſ. x. probl. q.

Digitized by Google

56. nec non ex Plinio l. xı. c. 37. Nimirum Eunuchi ſunt fœminei temperamenti; atque ita ſicut mulieres per ſe loquendo, non tentantur caluitio, ſic neque Eunuchi. Et verò caluitij origo, eſt à capitis exſiccatione, ea verò maximè infert vſus veneris, vt latè tradit Marcellus Donatus dilucidationibus in Suetonij Othonem ad c. 12. hinc inferes., cur ſpadones non caluescant. Item origo caluitij, eſt à plurimo calore, quem vſus ſexuum proritat, & incendit. Vnde Romani, vt eſt apud Capitolinum ad calcem vitæ Maximinorum, coluere venerem caluam, cuius mentio item eſt apud Lactantium lib. 1. cap. 20. & apud S. Auguſtinum Epiſtola 44. Non cenſebant autem, venerem Deam pulchritudinis, fuiſſe caluam formaliter. Nam vt eſt in l. 2. Mileſ. tanta eſt caluitij in muliere deformitas, vt venus, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, baltheo ſuo cincta, cynnama flagrans, & balſama rorans, ne vulcano quidem ſuo eſſet placitura, ſi calua procederet. Dicta igitur eſt *venus calua*, cauſaliter tantùm; quia quamuis ipſa eſſet capillata, tamen caluitium inducit in ſibi addictos. Capitolinus tamen loco annotato, & Vegetius lib. 4. aliunde repetunt *veneris caluæ* appellationem ac cultum; nempè à decaluatis vltrò Aquileienſibus fœminis, cum dëeſſent nerui ad ſagittas emittendas. Id quod etiam Romæ aliquando factũm proditur. Inde autem, ad memoriam tam illuſtris facti matronarum, inductum eſſe cultum veneris caluæ, exiſtimant. Sed nihil vetat, huic (vt ita dicam) hiſtorico ſenſui, adiunctum eſſe illum alium veluti myſticum, vt contigit in cultu veneris libitinæ.

9. Immunitatem hanc Eunuchorũ à caluitio, haud quaquam magni penderet Syneſius laudum caluitij buccinator, & Hubaldus Monachus Benedictinus, autor longi poëmatis de laude caluorum, cuius omnes voces, initialem habẽt literam C. ſed in contrarium ſunt D. Chryſoſtomus ac Theodoretus, adducti in ſcalis à viſibili creatura ad Deum gradu xı. à quibus capillitium tanquam naturalis galerus commendatur. Id quod etiam facit S. Auguſtinus in Pſal. 51. & Dio orat. 35. capillitium habens pro inſigni ſapientiæ & venerationis illicio, auguſtum quid

Digitized by Google

quid a c diuinum proferente; quod adimere iniecto ferro, auerſabantur religioſè Lacædemonij, vt Apollonius apud Philoſtratum l. 8. vitæ c. 3. retulit. Vnde videntur poſteriores Græci Chriſtiani, hauſiſſe errorem relatum, & refectum à Manuele Caleca l. 4. contra errores Græcorum c. 13. refectionem capillitij habentium pro deformatione diuinæ imaginis, referta ſacrilegij. Nobis, etiamſi capillitium non eſt tanti, vt in eo diuinum quippiam agnoſcamus, eſt tamen pro inſigni capitis ornamento atque tutela, de quo plenius in Analectis de Pileo c. 2. Eius porrò ſpeciem vt collaudamus cum S. Ambroſio 6. Hexaëm c. 9. ita eo nudari, ignominioſum ducimus, cum S. Cyrillo comment. in Amos num. 75. Alia in hanc rem petere licet ex Adriano Iunio l. de coma c. xı. Vnde pro bono haud exili Eunuchiſmi numerari poteſt, quod prohibeat hac ignominia, excludendo caluitium.

10. Eadem videtur fuiſſe cauſa, cur ſoli Eunuchi indemnes eſſent à virulentia halitus peſtiferi, de quo ita Scaliger exercit. 277. num. 4. poſt Dionem Caſſium in Traiani vita. [Ad Hierapolim Syriæ, quam nonnulli *Alepcem* rentur, eſt tetri ac lethalis odoris ſpecus. Quicquid eiuſmodi halitum hauriat animantium, interire. Solos Eunuchos illius maleficij ac noxæ expertes eſſe, ſcribit Dio] An hoc ipſum eſt ſpiraculum illud, *Syriacum* per errorem dictum, pro *Phrygio*, quod Apuleius l. de mundo,abs ſe viſum Hierapoli Phrygiæ teſtatur, in quo proxima quæque animalia & in aluum prona atque proiecta venenati ſpiritus contagione corripiunt, & vertice circumacta interimunt? Antiſtites denique ipſos, ſemiuiuos eſſe qui audeant propiùs accedere; ad ſuperiora, ſemper ſua ora tollentes: adeò illis cognita vis mali. Soli Eunuchi ab ea virulentia immunes ſunt: Cauſam ſibi eſſe incompertam fatetur Dio, & Plinius lib. 2. c. 92. ſed videretur petenda à frigiditate Eunuchorum, quæ vim halitus calidi retundat. Sicut Salamandra, præ natiua frigiditate, ignes quibus ſuperponitur, extinguit; quod ex Olympiodoro in Ariſtotelis librum de affectibus miſtorum, (hoc eſt, in quartum Meteororum,) prodit Scaliger exerc. 74. n. 3. rem diſcutiens exercit. 185.



Digitized by Google

Longæuitatem Eunuchorum præ integris, Franciſcus le Roy Tract. de Axiomatis Ariſtotelis V. *Caſtrati*, eruit ex lib. de longitud. & breuit. vitæ c. 5. *aliàs* S. vbi dicitur. [ Salacia & multi ſeminis, ſeneſcunt citò. Semen enim excrementum, & amplius exſiccat emiſſum. Et propter hoc, mulus eſt longioris vitæ, equo & aſino ex quibus genitus eſt; & fœminæ maribus, ſi ſalaces ſint mares: quapropter & paſſeres maſculi, breuioris vitæ fœminis. ] Hanc rationem longioris vitæ Eunuchorum, his ex Ariſtotele verbis exprimit Autor adductus. [ Nihil vitæ longiori tam eſt inimicum, quàm nimiæ voluptati indulgere, atque immodicè venereis complexibus vti: ſiquidem immoderata ſeminis emiſſio, ſic corpus exſiccat, vires abſumit, alteratque ſpiritus, vt ante à natura conſtitutum tempus, ſeneſcat. Quare cum abſtineant recutita animantia, vt quæ nulla voluptate titillentur, cum etiam ob frigus in mulo multùm prædominans, fit vt alijs plures annos ſuperſtent. ] Huius ſententiæ pars, ſaltem quoad ſenſum, apud Ariſtotelem legitur. Tota tamen ſententia quæ relata eſt, vbi apud Ariſtotelem legatur dicere nequeo. Illuſtrat verò hanc ipſam doctrinam alijs exemplis, Magnus Albertus Tract. de morte & vita c. 8. Monſtratum ergò ſufficienter eſt, Eunuchiſmum non eſſe exortem bonorum, ſiuè commodorum, cum tot immunitates à malis grauibus animæ & corporis illi comitentur.

### §. 2. *Mala animæ, & corporis ab Eunuchiſmo.*

1. Damna & incommoda Eunuchiſmum conſequi ſolita, non cedunt bonis eius, de quibus hactenùs. Et in primis quoad animam, notauit Caſſianus collat. 4. c. 16. Eunuchos ferè torpere in ſtudio virtutum, & vix vnquam aſſurgere ad magnam perfectionem. Cauſam his verbis aſſignat Caſſianus. [In his qui ſpadones ſunt corpore, idcircò hunc animi teporem plerumque ineſſe deprehendimus, quia velut ſoluti ab hac neceſſitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis ſe æſtimant indigere; & hac reſoluti ſecuritate, nunquam perfectionem cordis, ſed nec ſpiritualium quidem vitiorum purgationem, vel quærere in veritate, vel poſſi-

Digitized by Google

dere feſtinant. Qui ſtatus, à carnali qualitate deſcendens, efficitur animalis, qui eſt procul dubio deterior gradus. Ipſe eſt enim qui de frigido ad tepidum tranſiens, deteſtabilior Domini voce ſignatur. ] Hæc tamen cauſa remiſſionis Spadonum in ſtudio virtutum, non videtur adæquata. Imò plerumque videtur deficere. Nam multi Eunuchi, abſque eo errore ſecuritatis ob defectum hoſtis, torpuerunt in via Dei, ob mollitudinem fœmineam ex peculiari ipſis corporis habitu deriuatam, quæ cum exectione animi, neceſſaria ad progreſſum in virtutibus, non cohæret neque tamen inficias eo, ſuperante naturam gratia, pleroſque Eunuchos euaſiſſe in ſanctos eximios, inſigni perfectione conſpicuos, vt ſupra notaui. Sed vt plurimùm res habet, vt dixi, ob rationem propoſitam, & animi mores remiſſos, corporis frigiditatem ac mollitiem conſequentes.

Etiam in genere naturæ, & moris philoſophicè probat, hoc eſt, in ingenio & in negotijs erectionem animi vt ex voto cedant depoſcentibus, & in rebus ex regula honeſti merè humana & naturali gerendis, vix vnquam Eunuchi, ob rationem circa perfectionem Chriſtianam, & ſtudium honeſti ſupernaturalis aſſignatam, ſuſtolluntur ad aliquid eminens, ſed humi repunt, nec generosè quippiam ſuſcipiunt, aut obeunt. Non eſt difficile, iſta ſigillatim monſtrare.

2. Ac primùm, cuiuſmodi ſit Eunuchorum ingenium & idoneitas ad profectum in diſciplinis, & conſequente ad eas expolitione animi & amœnitate, dico verbis Auenzoar l. 2. ſuæ Medicinæ Tract. 3. c. 1. [ Dico (inquit) quod teſticuli ſunt ex numero principalium membrorum; & eorum virtus eſt magna valdè, quia manifeſtè videmus, quod quilibet Eunuchus habet vocem ſubtilem, & eſt vilis conſuetudinis ac moris, & eſt abſque barba: & non eſt ſtabilis ſenſus; & vix vnquam inuenitur Eunuchus ſenſati ſenſus & intellectus, nec legalis: nec vnquam fuit auditum, quod aliquis caſtratus ſit bonorum morum. Sed forſitan aliqui reperiuntur qui habent aliquam probitatem, cum idonea & pulchra receptione ſeu collectione: ſed hoc non habent à ſe, ſed à doctrina aliorum; quia id quod à ſuo proprio intellectu procedit, parùm valere, aut nihil

penitùs reperitur *&c.* Ergò rationabiliter videtur ex hiſs, quod Eunuchi priuati ſunt membro principali. ]

3. Iam quod vigor animi, ac ſtrenuitas Eunuchos deficiat, eorum complexio & mollis habitus facit. Itaque ad bellicam rem gerendam, ferè ſunt inepti Eunuchi, vt non poſſit Claudianus l. 1. in Eutropium Eunuchum, ſatis demirari eius ſtuporem; quod voluiſſet arma tractare. Exclamat igitur ad id veluti monſtrum Poëta.

*ne qua vacaret*
*Pars ignominiæ, neu quid reſtaret inauſum,*
*Arma etiam violare parat, portentáque monſtris*
*Aggregat, & ſecum petulans amentia certat.*
*Erubuit Mauors, aduerſáque riſit Enyo.*

Nec ita multo poſt.

*Quid te turpiſſime bellis*
*Inſeris, aut ſæuis pertentas Pallada campis?*
*Tu potes alterius ſtudijs hærere Mineruæ.*
*Tu telas, non tela pati; tu ſtamina noſſe;*
*Tu ſegnes operum ſolers vrgere puellas,*
*Et niueam dominæ penſis inuoluere lanam.*

Apud Vegetium quoque l. 1. c. 7. Eunuchi arcentur à bellicis munijs, tanquam ad ea prorſus inepti. Nimirum neceſſarius eſt ad bella gerenda vigor animi, & generoſa erectio, quæ Eunuchos præ frigiditate corporis deficit. Et quanquam aliquandò, Eunuchos ad bella adhibitos legimus, vt conſtat ex illis Lucani verſibus lib. 10. quibus deſcribit cuneos militares;

*Nec non infœlix ferro mollita iuuentus,*
*Atque execta virum. Stat contra fortior ætas.*

Tamen hoc, veluti monſtroſum videri potuit. Sicut etiam rectè dicitur, fœminas non eſſe ad bellum factas, idque eſſe ab earum genio alienum; quamuis præter morem, Amazones, & ſi quæ aliæ mulieres, geſſiſſe bella legantur. Quamuis igitur poſſint quoque Eunuchi rem bellicam tractare, vt admittit Naudæus lib. 1. de milit. ſect. 6. n x. & Narſetis, aliorúmque nonnullorum exempla Eunuchis ex hac parte ſuffragentur; ( notat nonnulla Cotereus de Iurè & priuil. milit. l. 1. c. 13.)

Digitized by Google

tamen vt plurimùm, imò ferè ſemper, Eunuchi ob remiſſionem animi, ex corporis habitu & frigiditate conſequentem, excluduntur à geſtione bellorum, vt idem Cotereus rectè pronunciat. Et mirabile planè eſt, Cyrum ſatellitio præſidiariorum Eunuchorum, ſtipatum deſcribi à Xenophonte l. 7. pædiæ quod idem de Smerde Syris imperante, ſcribit Herod. lib. 3.

4. Quæ præterea magnam animi erectionem ad perrumpendam iniquitatem ſolent depoſcere, vt ius dicere, gerere rempublicam, etiam ex meris naturæ luminibus vt faciebant Ethnici, vix vnquam imbelli Eunuchorum generi fœliciter ceſſerunt. Et pro monſtro habuit Claudianus l. 1. in Eutrop. quod Eunuchus, præter omnem morem, iura dare aggreſſus eſſet. Itaque ſic in eum concitatur.

*Iámque oblita ſui, nec ſobria diuitijs mens,*
*In miſeras leges, hominúmque negotia ludit.*
*Indicat Eunuchus; quid iam de Conſule miror?*
*Prodigium eſt quodcunque gerit. Quæ pagina lites*
*Fœmineas meminit? quibus vnquam ſæcula terris,*
*Eunuchi videre forum?*

Quamquam non prohiberi Eunuchum gradu Doctoris, (etiam in iure,) & alijs huiuſmodi honoribus, cenſet Plaza in Epito. delictor. c. 24. n. 4. refragaturo haud dubiè Luciano, qui publicè docendi profeſſionem, nulla ratione concedendam Eunucho, confirmat in Dialogo Eunuchus.

Geſtio Reipublicæ æquè ſemper ominoſa fuit Eunuchis. Teſtes Eutropius, Cryſaphius, Calligonus. Claudianus hac ex cauſa Eunuchos fœminis poſtponit l. 1. in Eutrop.

*Sumeret illicitos enim ſi fœmina faſces*
*Eſſet turpe minùs. Medis, leuibúſque Sabæis*
*Imperat hic ſexus, Reginarúmque ſub armis*
*Barbariæ pars magna iacet; Gens nulla probatur,*
*Eunuchi quæ ſceptra ferat.*

Excurrit poſtea in inſignia Heroidum facta, à quibus quàm longiſſimè abeſſe Eunuchina ingenica demonſtrat. Itaque non eſt illis credenda Reſpublica, ſi incolumitati eius conſulatur. Et qui ad eius curam videntur adhibiti, non erant vt plurimum

Digitized by Google

veri Eunuchi, ſed nomine tenus duntaxat, vt benè obſeruat Elias Cretenſis ad orat. 3. Nazianzeni; notans, etiam in ſcriptura, pleroſque æmulatores fidei verorum Eunuchorum cuſtodientium Gynæcæa, dictos eſſe Eunuchos, etiamſi eſſent viri; quod de Putiphare Gen. 27. Vagao Iudith. 12. Egæo, Eſther. 2. Abdemelec Ierem. 38. Aſphenes Dan. 1. cenſuerunt graues ſcriptores. Videndus Perer. in c. 37. Gen. diſp. 9. Caſtro Ierem. 29. Maldo. Ierem. 38. Sanctius Prolegom. 1. in Dan. Lorinus Actor. 8. n. 27. & alij ad ea loca. Huiuſcemodi ergo Eunuchis concreditam eſſe Rempublicam (ſin minùs quoties tale quid de Eunuchis aſſeritur, at certè non rarò) procliuè eſt arbitrari. Eſto apud Barbaros, vt ait Tacitus l. 6. Annal. vltrò potentiam haberet ademta virilitas: & de Perſis, ita prodat Plinius l. 13. c. 4. (vbi videndus caſtigator Plinij Hermolaus,) nec non Diodorus l. 17. Bibl. ac Plutarchus Tractatione altera de fortuna Alexandri. Attamen inter eos qui verè Eunuchi fuere, vix vlli aut perpauci, Rempublicam benè & cum laude geſſerunt & idcirco. Rara auis haberi potuit Philetærus, quem Lucianus in Macrobijs, Pergameni principatus autorem & moderatorem poſt annos vitæ 80. magna prudentiæ politicæ laude clarum, obijſſe prodidit. De Hermia Itarnite refertur ille Hippocratis verſus à ſuida V. *Hermias* Eunuchus cum eſſet, ac ſeruus, imperauit Hermias. Sed non fuiſſe Eunuchum Hermiam, ſuſcepta ab eo Pythias filia docet. Itaque Vix vlli alij, præ animi deiectione ac remiſſione imbelli, nec niſi artibus fœmineis; dolis, inquam, ac ſutelis regere aſſueta, idem decus cum Philetæro retulerunt. In ſumma, Eunuchos ad quoduis virile & animi indigum ineptos, pronunciabat Epicurus; non dignatus eos *virorum* nomine, ſed communi vtriuis ſexui appellatione, *homines* vocans quippè *τῆν ψύχην ἐκνευρισέντας*, vt ipſe loquitur, id eſt animo eneruatos, vt refert Adrianus Iunius l. de Coma c. 2.

5. Parum eſt ad probra animæ Eunuchorum, quod remiſſi ſint animis, & vix ad aliquid egregium aſſurgant. Quinetiam plerique Eunuchorum, fuere præcellentis malitiæ, & nequitiæ, eóque nomine gens Eunuchorum peſſimè iam olim audijt. Po-

Digitized by Google

lemo ſanè, Athenienſis, in definitionibus effigierum humanarum, adductus à Magio 2. Miſcell. cap. 5. Eunuchos, maiori ex parte immiti eſſe animo dixit, furioſos, facinoroſos, multíſque ſceleribus contaminari ſolitos. Ευνοῦχος, ἄλλο θηρίον, ἐν τῷ βίῳ, aiebat Menander. *Exnuchus alia fera eſt in vita.* Vox feritatis credulitatem præſertim præfert, ſemper in Eunuchis notatam. Eorumdem auaritiam, nominatim carpit Claudianus l. 1. in Eutrop. his præter cætera.

*Adde quod Eunuchus nulla pietate mouetur;*
*Nec generi, natiſue cauet, clementia cunctis*
*In ſimiles; animóſque ligant conſortia damni.*
*Ille nec Eunuchis placidus, ſed peius in aurum*
*Æſtuat, hoc vno fruitur ſucciſa libido.*
*Quid neruos ſecuiſſe iuuat? vis nulla cruentam*
*Caſtrat auaritiam?*

Et tamen, quod idem Poëta iure miratur, Eunuchus vnus eſt, & ſecundum non habet. Cui ergò laborat, & opes congerit?

*Quo ſtruis hos auri cumulos, quæ pignora tantis*
*Succedunt opibus? Nubas, ducaſue licebit;*
*Nunquam mater eris, nunquam pater, hoc tibi ferrum*
*Hoc natura negat.*

Eunuchos præ auaritia, vendere omnia ſolitos in aulis, ait Libanius orat. 7. quæ eſt pro Ariſtophane t. 2. Habet hic quoque locum, egregia S. Auguſtini ratiocinatio quoad ſacras Virgines, quas facilè ait occupari ab auaritia, & quidem præferuidè; eo quod natura corrupta, aliquo tandem canali exonerare ſe debeat, vnde obſtructis in ſacris perſonis, honorum præ ſtatus deiectione, & voluptatum corporearum meatibus, reſtat ſolus elix auaritiæ, in quem corruetur vniuerſa naturæ corruptio. Ita S. D. lib. de bono viduit. c. 21. Hæc autem ratiocinatio optimè quoque cadit in Eunuchos, qui cupiditatibus corporum liberi, nec inde valentes naturam corruptam leuare, flagrantiùs ad auaritiam feruntur. Sed quod Claudianus aiebat, Eunuchum nulla pietate moueri, atque ferum, & crudelem eſſe; illuſtri exemplo confirmat S. Nicephorus Conſtantinopolit. in hiſtoria ad annum 693. Scribit enim Iuſtinianum

Digitized by Google

Rithnometum conſtituiſſe fiſci præfectum, Stephanum quemdam Eunuchum, genere Perſam, dirum hominem, miſeros ſubditos deglubentem, & adeò nemini parcentem, vt etiam matri ipſius Iuſtiniani, verbera intentaret, vt ſolent pueris infligi à Magiſtris. Trux ergò Eunuchus, adhibito Apoſtata Monacho, cui nomen *Theodoro*, quem Logothetam ſiuè publici ærarij præfectum fieri curauit, omni genere crudelitatis bacchatus eſt; hos ſublatis funibus extentos, ſtipularum furno diſcrucians, illos proſcribens, ac intolerabilibus cruciatibus trucidans. Cúmque crudelitas in Leontium quoque Patricium, gente Iſauricum progreſſa eſſet, is poſtmodùm euectus ad imperium; Stephanum, & Theodorum pedibus alligatos, ac per vrbem ad bouis forum attractos, igne combuſſit, crudelitates iuſto ſupplicio repenſans. Alia exempla Eunuchorum immiſericordium atque crudelium, paſſim occurrunt. Nec id mirum videri debet, quandoquidem ſic truncati præſertim, qui id in ſe crudeliter admiſerunt, vel vltrò ac volentes exceperunt, non exhorrent in alijs ferri vſum, vt ratiocinatur S. Innocentius I. Epiſtola ad Felicem Nucerinum Epiſcopum. Notat porrò Gulielmus Benedictus ad cap. *Raynutius V. & vxorem Adelaſiam* num. 318. Poſt Baldum ad l. 1. *C. de Eunuch.* quamuis alia animalia, dempto apro, per exectionem miteſcunt, tamen hominem caſtratione magis efferari, & in hoc æquiparari apro, quaſi homo particeps fiat truculentiæ, per quam eſt imminutus.

7. Infidelitas & perfidia Eunuchorum, teſtatiſſima eſt, quicquid Theodoretus *in Aphaite*, in contrarium ſtatuat; Liuius certè lib. 35. miſcendo Regibus veneno, nauos adminiſtros eſſe ſpadones prodidit. Eunuchi Aſſueri per Mardochæum delati, ſupplicio ob perfidiam & proditionem ſunt addicti. Itaque Artemidorus l. 2. c. 14. ita ſtatuit. [ Galli exliſſi, ſpadones, omnes infideles, quia natura neque viri ſunt neque fœminæ. ] De eorum impudicitia, (quis credat?) multa inferiùs adducam; eamque vel vnum Calligoni vltore gladio cæſi exemplum euincit; nec non alterius, quem Rex Babylonis deprehenſum cum ſua pellice, gladio addixerat, niſi

Apollonius

Digitized by Google

Apollonius ærumnoſam vitam, ei in grauiorem pœnam, ſi exolueretur, ceſſuram, ſuaſiſſet concedi.

8. Quid multa? Ammianus lib. 10. adeò inſculptum animis omnium eſſe perſpexit, Eunuchos omni ſcelere inquinari, vt laudaturus Entherium Eunuchum à probitate morum, & honeſtate, præfandum ſibi cenſuerit, vereri ſe, ne quæ de eo ſcriberet [viderentur non credenda; ea re quod ſi Numa Pompilius, vel Socrates, bona quædam dicerent de ſpadone; dictiſque, religionum adderent fidem, à veritate diſceſſiſſe arguerentur.] Nec habuit Ammianus quod excuſaret, niſi diceret, non eſſe de Entherio ex communi de Eunuchis ſenſu ſtatuendum: potuiſſe quippè inter tot peſſimos, hunc exiſtere moderatum & probum. Nam [& inter vepres, roſæ naſcuntur; & inter feras, nonnullæ miteſcunt.] Itaque tametſi omninò pauci Eunuchi, fuiſſent apud veteres probati & frugiferi, tamen illos ipſos paucos qui frugi videbantur, fuiſſe ob quædam vitia maculoſos. [Inter præcipua enim quæ eorum quiſque ſtudio poſſederat, vel ingenio; aut rapax, aut feritate contentior fuit, aut propenſior ad lædendum, vt Ligendius nimiùm blandus, aut potentiæ faſtu ſuperbior.] Enumeratis autem pleriſque Entherij ornamentis, fatetur, neminem ſe ſpadonum in vniuerſa antiquitate reperiſſe, cum ipſo componendum; ſi fortè Menophilum Mithridatis Pontici Regis Eunuchum demas, quem ex illo, (vt putat,) omnes laudes ſuperante egregio facinore prædicat, quod periclitantem ab hoſtibus heri filiam; ſua manu confodit. Proh quam virtutem? Et tamen eam vnam reperit Ammianus, quam in ſui Entheri compare, in vniuerſa antiquitate celebraret.

9. Ad extremum, exaggeratæ Spadonum nequitiæ illud argumentum non præterijt Claudianus l. 1. in Eutrop. quod cum Ethnici, quemcunque in aliqua virtute illuſtrem deprehendiſſent, cœlo ſemper intulerint, & Numinibus ſuis accenſuerint, vt monſtratum eſt agendo de Polytheiſmo in Theologia Natur. diſt. 7. q. 1. artic. 2. tamen nullus vnquam Eunuchus, inter Deos ſit relatus.

*Veſta, Ceres, Cybele, Iuno, Latona, coluntur.*
*Eunuchi quæ templa Dei? quas vidimus aras?*
*Inde Sacerdotes hæc intrat pectora Phœbus*
*Inde canunt Delphi: Troianam ſola Mineruam*
*Virginitas Veſtalis adit, flammaſque tuetur*
*Hi nullas meriti vitas, ſemperque prophani.*

Omnia Ethnicorum numina, ex mortalibus generi humano in exemplum virtutis alicuius factis, aſſumpta erant, & cœlo illata, vt propterea S. Auguſtinus 6. Ciuit. c. 8. ſcitè dicat, rectè terram eſſe apud Ethnicos habitam matrem Deorum.

10. Quod ergo nullus Eunuchus, in tanto Deorum Ethnichiſmi populo, ſit ab eis cœlo illatus, & apotheoſi honeſtatus, argumento eſt, nullum eſſe deprehenſum Eunuchum, ſingularis probitatis; vt propterea etiam repulſi ſint à quibuſuis Sacerdotijs. Gallos quippè Rheæ addictos, non habuit Poëta pro Sacerdotibus, ſed pro lanijs, & ſuimet (quod truculentius eſt,) carnificibus. Omnes itaque Eunuchi, aut ferè omnes, de Ethnicorum ſententia, & Claudiani iudicio, ſcelerati fuere & nequam. Ethnico in Gentilium errore obduratiſſimo, qualis Claudianus fuit, (quippè qui adulta iam Chriſtianiſmi luce, adhuc Ethniciſmo indormiebat, D. Auguſtino teſte l. 5. Ciuit. c. 22. & Paulo Oroſio l. 7. hiſtor. c. 33.) adiungo Saracenum. Auenzoar enim lib. 2. tract. 3. Medicinæ c. 1. hæc chartis illiuit. [Prætenuem in Eunucho vocem audimus, malos agnoſci mores: ſunt porrò imberbes, rationis item peſſimæ, nec ferè inuentus eſt exectus aliquis, bonæ legis. [Id eſt qui exlex non eſſet, ac compoſitè viueret. Exempla facinoroſorum inter Ethnicos Eunuchorum, præter tacta ſuperiùs, vbiuis proſtant. Vagao Holefernis Eunuchus, leno impuriſſimus fuit. Photinus Ptolemæi Eunuchus, Magno Pompeio interitum acciuit. Halotus Agrippinæ Eunuchus & Cæſaris Claudij prægustator, boleto medicato herum interfecit, ſuaſu Auguſtæ. Hæc & ſimilia portentoſa improbitatis exempla, Ethnicos induxerunt in eam mentem, Eunuchorum propriam quarto modo eſſe nequitiam; & genus hoc hominum eſſe inquinatiſſimum ac corruptiſſimum.

Digitized by Google

11. Non Ethnici duntaxát, & Saraceni, ſed etiam Patres, maledicentiæ abſtinentiſſimi, grauant Eunuchos innumeris probris. Omnes ſanè turbas quæ Eccleſiam infeſtarunt, ab Eunuchis vel ortas vel promotas, obſeruare licet in Eccleſiaſtica hiſtoria. Calligonum Valentiniani Eunuchum. S. Ambroſio minantem, eo quod nefarijs auſis Arrianorum, autoritate Iuſtinæ Auguſtæ armatorum, obſiſterit; excepit S. Antiſtes, (vt ipſemet ſcribit Epiſtol. 14.) hoc reſponſo quo mores Eunuchorum patefecit. *Ego patior quod Epiſcopi; Tu facies quod Spadonis.* Senſus eſt, ſi mors mihi ob hanc cauſam abs te inferatur, ſuſtinebo ego quod decet ſuſtinere in tali cauſa Catholicum Epiſcopum: Tu verò cædis ſacrilegæ patrator, facies rem Spadone dignam, id eſt, immani ſcelere ſordentem ac deteſtandam. Hic eſt ille Calligonus, hoſtis ſanctorum, qui poſtea ob monſtroſam impudicitiam, gladio carnificis plexus occubuit. De Eunucho Victoris Tribuni per id tempus in Epiſcopum Epheſinum promoto, hæc lego apud Palladium in vita S. Chryſoſtomi. [ Atque vtinam ordinatus Eunuchus, vitæ honeſtate polleret. Eſſet id malum fortaſſè tolerabilius. At nunc terræ inteſtinum eſt, qui ordinatur, ventri ſubditum, in fæminas inſaniens, impudens, ebrioſum, ſcortum emptitium, illiberale, cupidum, ab ipſa ſtatim natiuitate ferro obnoxium; neque vir, neque fœmina, veſanum, & qui (vt fama eſt,) inter ſatyrica conuiuia theatricas humeris puellas geſſit: capitéque coronato hedera, craterem ferens manu, in morem fabuloſi Dyoniſij, vina fudit. Hæc autem omnia non ante baptiſmum, ſed poſtquàm baptizatus eſt, geſſit, ex quibus ſatis colligitur, illum reſurrectionem non credere. [ Theodorus Diaconus Romanæ Eccleſiæ qui cum Palladio colloquitur, euectionem tam turpis perſonæ in Epiſcopum, ſuperaſſe omnem inſaniam & ebrietatem præfatus, comparat qui eum euexerant, cum ijs qui coronam ſpineam capiti Chriſti impoſuerunt; tanta ei viſa eſt Eunuchi illius malignitas. Chryſaphites Theodoſij iunioris Eunuchus potentiſſimus, S. Flauianum Conſtantinopolitanum diù vexauit, & vt eum perderet, Pulcheriam Auguſtam ingenti cum Imperij detrimento ablegandam curauit: idem deliram Eutychetis hæ-

reſim, de deitate & humanitate piſtis in tertiam naturam, fouit ac promouit: Latrocinium Epheſinum (ſic enim prædatoriam illam pſeudoſynodum, fidei Catholicæ in Oecumenica ibidem ſynodo rectè conſtitutæ tentata conuulſione, & S. Cyrilli proſcriptione infamem texit; actumque erat de fide Catholica, niſi infamis Eunuchi artibus faſcinatus Theodoſius, oculos deinde aperiens, eum abdicaſſet, & mala morte ſuſtuliſſet. Anthiochum ſpadonem ſub Theodoſio iuniore, imperium pro libito adminiſtrantem, de ponendo tumore admonet Iſido. Peluſ. l. 1. Epiſt. 36. Eutropius S. Chryſoſtomi ætate, ſub Arcadio immunitatis Eccleſiaſticæ violator, homo nequam & ſæuus, & ſub Chriſtiano nomine *anima & mente Paganus*, teſte S. Proſpero p. 3. de prædict. c. 38. impietatibus ſuis ac crudelitatibus omnia polluit; & exacerbato Gaina Gotho, in ſummum periculum rempublicam adduxit; capitali denique ſupplicio & eraſione titulorum eius, multatus. Illius æui ſcriptor Claudianus, duplici poëmate nefarium hominem proſcidit. Antoninæ vxoris Beliſarij leno Calligonus Eunuchus, poſt multa ſceleratè patrata, tetro denique fine vitam clauſit, vt eſt apud Procopium in hiſtoria. Photius fax Orientis, & cladis ſub qua etiamnùm gemit Græcia, autor, Eunuchus fuit; S. Nicolai primi, & aliorum Pontificum, ac Conciliorum anathematiſmis ob ſuperbiam immanem & ſchiſma confixus.

12. Sed nulli magis Eunuchi ſub Chriſtiano nomine res fidei turbarunt, quam qui Conſtantino Magno, & Conſtantio imperantibus vixerunt, rerúmque potiti ſunt, magno Arrianiſmi commodo, fidei autem Catholicæ grandi detrimento, de quo ſæpè, S. Anathaſius expoſtulat. Sanctus item Baſilius epiſto. 87. quæ eſt ad Simpliciam hæreticam, queſtus ſe calumnijs proſciſſum, excitátaſque aduersùs ſe ab hæretica fœmina lacertas ac rubetas, immundas beſtias; ſeruos inquam, & Eunuchos domeſticos; ait expectare ſe, iudicij diem, in qua non ſiſtentur teſtes ſerui; [ Neque ignominioſum illud ac modis omnibus periculoſum genus; genus hoc, inquam, nec fœmineum, nec maſculinum, inſaniens in mulieres, inuidioſum, vilis pretij, animo feraci, effœminatum, ventri deditum, auri cupi-

Digitized by Google

dum, ſæuum, inter lætandum plorans, inconſtans, illiberale, ſtabularium, inſatiabile, furioſum, & zelotypum; & quid amplius dicendum eſt? cum ipſa ſtatim generatione ferro damnatum. Quomodò ergò rectus eſſe poterit iſtorum animus, quorum & pedes diſtorti ſunt? Iſti fruſtra quidem caſti manent per ferrum, inſaniunt verò abſque fructu, propter ſuam turpitudinem. Hi non ſiſtentur in iudicio teſtes, ſed oculi iuſtorum, & facies virorum perfectorum.] Exſcripſit hunc S. Baſilij locum Anaſtaſius q. 79. in ſcript. Infixit verò ſtylum adeò validè in Eunuchos vir ſanctus, quia ipſi erant à quibus propter hæreſum impugnationem lacerabatur: ipſi omnia ſanctorum conſilia pro fide tuenda diſturbabant, ipſi omnes contra rectam fidem machinas intentabant. Hæcque eſt germana cauſa, cur Nazianzenus Baſilio coniunctiſſimus, adeò infenſus ſit generi Eunuchorum, vt notarit Billius ad orationem eius 31. n. x. vix vllam eſſe orationem in qua Nazianzenus in Eunuchos non inuehatur; eo quod ferè eſſent Arriani, aut Macedoniani, & eas hæreſes acerrimè promouerent. Sanè ea orat. 31. Eunuchos alloquens, hortatur vt corpore quoad externum commercium vtcumque puri, ne fornicentur mente per hæreſes. Et addit. [Quid impietatem, veſtram effeciſtis? quid omnes in vitium præcipites ferimini, vt deinceps idem ſit, aut Eunuchum aut impium vocari? Tandem aliquandò viris vos adiungite, virilem affectum aliquem habete, gynæcea fugite, ne ad nominis turpitudinem prædicationis turpitudo accedat.] Hoc dicit Theologus, quia Eunuchi in gynæceis quæ curabant, ſtrenuè hæreſim buccinabantur, & per mulierculas ſeductas, inficiebant aulam, & in imbuendos errore ſuo cæteros, erant intentiſſimi. Quare oratione 20. quæ eſt S. Baſilij laudatio, refert à Valente Arriano, ad virum ſanctum pertrahendum ad ſuas partes, ſubmiſſos eſſe multos, at nominatim id prodit de Eunuchis. [Mittebantur (inquit) illi ex gynæceo; illi inquam, inter fœminas viri, & inter viros fœminæ, nec virile quicquam præter impietatem habentes: qui cum naturali morbo libidini operam dare nequeant, quod vnum poſſunt, lingua ſcortantur.] Nimirùm par fuit, vt

Digitized by Google

hæreſis ſterilitate Deum damnans, eíque filium conſubſtantialem adimens, eiuſmodi infœcundos patronos & promotores ſortiretur.

13. Vix adducor, vt quæ S. Cyrillus apud Suidam V. ἀσάδλων in Eunuchorum inquinatiſſimam vitam, & mores flagitioſiſſimos adducit, hìc plenè exſcripta velim. Impij namque Chryſaphij, & reliquorum Eunuchorum, eius adminiſtrorum, arte mala atque ſceleribus euerſam rectam fidem deplorans, ea committere chartis adactus eſt, quæ genium Eunuchinum, & ad ſummam vſque prouectum malignitatem & nequitiam, demonſtrarent. Partem diſputationis S. Cyrilli, carptim ſublectam, exhibebo in capitis 4. calce. Ad rem præſentem facit limbus, quem attexo. Dixerat multa de Spadonum impudicitia, tum ſubdit. [ Et vtinam Eunuchus manu ſectus & caſtratus, in vita honeſta eſſet educatus. Sic enim malum eſſet ſemimalum. Nunc verò ſunt quoddam lumbricorum genus, quod vocatur *inteſtinum terræ* : Et ſunt homines ventris ſerui, fœminarum amatores inſani, impudentes, proterui, ebrij, ſcortatores, & ſcortorum ſollicitatores, pecunijs empti ſerui, illiberales pecuniæ ſerui, ab ipſo ortu ad ferrum condemnati; non viri, non fœminæ, furioſi, qui ſæpè ſatyricas puellas in ſatyricis conuiuijs geſtarunt humeris, hedera caput coronatum habentes, & craterem impoſitum manu tenentes, feruntur habitu fabuloſi Bacchi, ſæpiùs in pocula vinum infudiſſe. ] Non potuit Camarina nequitiæ, tetrioribus notis exprimi. Non eſt hæc culpa Eunuchiſmi, præſertim natiui, qui ex ſe innoxius eſt, & commiſerationem potiùs, quàm odium meretur. Tanta tamen improbitatis phalanx, ex omni ſcelerum colluuie coaleſcens, neſcio qua mala ſorte, ( vt minus frequentia experimenta docuerunt, ) & natiuo & factitio Eunuchiſmo adiungi ſolet; ita vt anima Eunuchorum omnibus propè flagitijs adoperta, replicanti ætates anteriores, occurrat de damnis animi, comitantibus Eunuchiſmo, plus ſatis.

14. Mala corpori ab Eunuchiſmo illata, non ſunt nunc ſpectanda penes naturæ violationem, & integritatis corporeæ cladem, ( de quibus poſtea erit agendum; ) ſed penes alia ei

Digitized by Google

oblæſioni adiuncta, quæ in animi quoqne damnum ferè reſultant vt patebit, inprimis ergò Eunuchiſmus, effœminat corpus. Nihil enim frequentiùs occurrit apud Hippocratem, Ariſtotelem, Galenum, ac ſimiles, quoties in Eunuchos incidunt, quàm quod Eunuchorum habitus corporis, ſit fœmineus; & idcircò fœmineas pleraſque affectiones participent, vt glabredinem, frigiditatem, pinguedinem flaccidam, ac reliquum corporis habitum. Explicatiſſimè id tradit Auerroës ad l. 1. de gener. anim. c. 3. & confirmant Adrianus Iunius l. de Coma c. 2. & Mercur. 3. Var. c. 8. Itaque non dubitarunt Medici, Didymos, queis Eunuchi deſtituuntur, cum corde componere, & alteram caloris officinam denominare; parùm veriti ſannas Andrææ Cæſalpini qui lib. 8. artis Medicæ c. 33. hoc habet pro ridiculo paradoxo. Econtrario Nancelius in Analogia Microcoſmi l. 8. c. 6. imò etiam Medicorum princeps Galenus l. 1. de ſemine, conſtanter id tradit; probátque experimento. [ Frigeſcunt enim ( inquit Nancelius, ) qui didymos amiſerunt, inſiti caloris origine priuati, omnéque his corporis robur collabitur, perinde ac ſi ſenes fuerint; neque latæ venæ, neque ſanguis floridus eſt. Arteriæ etiam, parum & imbecilliter, ſicut ſenibus, pulſant. Vnde patet, teſtes animalibus & roboris originem eſſe, & caliditate multa, totum corpus perfundere. Atque idcircò qui ipſis priuantur, debiles non modò mente, ſed toto etiam corpore euadunt, paruáſque non ſecùs ac mulieres venas habent: Vox item Eunuchorum muliebris eſt, quod Euſebius apud Macrobium l. 7. Satur. adeò habet pro explorato, vt dicat, ſæpè mulier, an Eunuchus loquatur, niſi videas, ignorari; tanta eſt in voce vtriuſque acuta, ſimilitudo. Id quod Diſarius ibidem adductus, ait, facere ſuperflui humoris abundantiam. [ Ipſe enim arteriam, per quam vocis ſonus aſcendit, efficiens craſſiorem, anguſtat vocis meatum: Et ideò vel fœminis, vel Eunuchis, vox acuta eſt; viris grauis, quibus vocis tranſitus, habet liberum, & ex integro patentem meatum. Naſci autem in Eunuchis, & in fœminis ex pari frigore, parem penè importuni humoris abundantiam, etiam hinc liquet, quod vtrumque corpus ſæpè pingueſcit. Certè

vbera propè ſimiliter vtriſque grandeſcunt.] Cuiuſmodi verò ſit is ſuperfluus humor, in Eunuchis æquè ac in fœminis abundans, declaratur ibidem paulò anteriùs, in hunc modum, poſt expoſitum humorem naturalem atque vitalem, non phlegmate ex frigore natum. [Ille humor qui aut de ætatis frigore naſcitur, aut cuiuſlibet vitioſitatis occaſione contrahitur, vt ſuperfluus, ita & noxius eſt. Hunc videmus, in fœminis vbi non crebro egeritur, extrema minitantem. Hunc in Eunuchis debilitatem tibijs ingerentem, quarum oſſa quaſi ſemper in ſuperfluo humore natantia, naturali virtute corruerunt: & ideò facilè intorquentur, dum pondus ſuppoſiti corporis ferre non poſſunt, ſicut canna pondere ſibi impoſito curuatur.]

15. Fœmineum præterea in Eunuchis corporis habitum præfert, facies glabra ac depilata. Sicut enim mulieres quia frigidæ, denſa habent corporis ſpiracula, quippè frigore aſtricta, vt philoſophatur Alexander 1. Probl. q. 5. poſt Hippocratem l. de natura pueri: Ita Eunuchi, ob habitum corporis frigidum glabri facie ſunt, veluti fœminæ. Nec id valet tantùm de Eunuchis natiuis, ſed etiam de factitijs. [Eunuchis (inquit Haliabbas l. 2. theorices c. 15.) non producitur barba, eo quod frigida ſit illorum complexio, cum ab eis membrum eximij caloris ſit imminutum.] Hæc ratio æquè valet pro quibuſuis Eunuchis, etiam factitijs, qui ante pubertatem, & emiſſam barbam, ſint execti. Cuius rei, præter experimentum, ſuppetit luculentum Hippocratis teſtimonium l. de natura pueri. [Quicunque (inquit) Eunuchi fiunt, dum pueri ſunt, propterea neque in pube, neque in mento pilos producunt, læueſque toti exiſtunt, quod via geniture non facta, cuticulam non rarefacit per totam ſuperficiem. Intercepta eſt enim ac concluſa geniture via.] Idem habet Ariſtoteles l. 9. Hiſtor. 6. vltimo, & explicatè l. 3. c. 11. verbis illis. [Pili poſt geniti, (hoc eſt vt ipſe interpretatur, *pubis*, *alarum*, & *menti*,) ijs qui ante pubertatem caſtrati ſunt, non exeunt. Et poſt pubertatem exciſis, ſoli decidunt, præterquàm pubis] Hoc de pilorum defluuio in exſectis poſt pubertatem, pugnat cum certo experimento. Teſtatur enim Antonius Vlmus l. de fine barbæ hu-

manæ

manæ ſect. 3. c. 4. viſos ſibi exſectos poſt pubertatem, queis barba iam profuſa non decidit; quamuis euaſerit rarior, tenuiórque ac mollior, & detonſa tardiùs recreuerit, Dio quoque in Seuero, agens de Plautiano Plautillæ filiæ agmen Eunuchorum adornante, teſtatur abs ſe viſos tales Eunuchos ſeriùs exectos, barbatos. At qui barbam ante exſectionem non emiſerant, læuorem fœmineum cum effœminatione habent, ac facie glabra præferunt.

16. Quam ob cauſam prouidi quidam Cœnobiarchæ, proſpicientes pudori ſuorum, ne obiectus facierum Eunuchinarum, fœminarum memoriam illis refricaret, Eunuchos excluſerunt à ſuis cœtibus, & cooptari in illos vetuerunt. Ita præter cæteros S Sabbas, vt habent eius Acta. Quanquam id non fuiſſe vniuerſaliter receptum, monſtrat ſanctarum quarundam fœminarum cooptatio in cœtus maſculinos, eo quod haberentur Eunuchi. Ita accidit varijs ſanctis fœminis, ſpecie virorum admiſſis in virorum cœnobijs, de quibus ago in analectis de capitis tegminibus p. 7. & nominatim contigit S. Eugeniæ, & S. Theodoræ pœnitenti, & S. Matronæ in D. Baſſiani cœnobium nomine Babylæ Eunuchi cooptatæ, vt eſt apud Surium 8. Nou. Alicubi tamen res habuit vt dixi, annuitque Simon Maiolus l. 1. de irregul. c. 27. n. 5. qui cenſuit monaſterium Eunuchorum, cuius eſt mentio apud Moſchum c. 19. idcircò fuiſſe conſtitutum, ne Eunuchi viris periculum crearent fœmineo obiectu. Sed quale fuerit illud Monaſterium iam dixi c. 2. *ſub finem.*

17. Monſtratum igitur ſufficienter eſt, Eunuchos in fœmineum corporis habitum tranſire, quem vox acuta & temperies frigidior, ac facies glabra, & ſimilia adiuncta præferunt, vt Macrobius 7. Satur. c. item 7. & 10. conſiderat. Itaque non abs re Catulus in Galliambo de Aty, (hoc eſt carm. 64.) caſtratos Cybeles Sacerdotes, queis nomen erat *Gallis*; non *Gallos*, maſculino nomine, ſed *Gallas* appellat ob effœminationem, & Horatius l. 1. Saty. 8. eam ob cauſam, Pedatium quemdam euiratum, vocat *Pedatiam.* Eunuchis enim (quippè effœminatis, corporis habitu) appellatio fœminea congruit; nec par



Digitized by Google

eſſet *homines* appellari, ſi vera eſſet opinio cuiuſdam Galliani Epiſcopi diſcuſſa in Conſilio Matiſconenſi. teſte Gregorio Turonenſi l. 8. hiſtor. c. 20. Negabat enim ille Epiſcopus, fœminam in ſcriptura dici *hominem*: atque adeò abrogatum volebat fœminis, nomen *hominis*, quod virilitatem & maſculum animum ſonare exiſtimabat. E contrario autem S. Franciſcus, fortem virili pectore matronam Romanam, cui nomen *Iacoba*, nolebat vocari *Iacobam*, ſed *fratrem Iacobum*. Sic Melania Albina ob virilem fortitudinem, ſæpè leguntur dictæ *Melanus*, *& Albinus*, vt eſt apud S. Auguſtinum Epiſtola 227. & apud S. Paulinum Epiſtola 44. Qua item ex cauſa, cum S. Eugenia adiens B. Helenum, putans ſe latere, dixiſſet ſibi nomen eſſe *Eugenio*, repoſuit S. Helenus [Rectè te *Eugenium* vocas; Viriliter enim agis, & confortatur cor tuum pro fide Chriſti. Rectè ergò vocaris *Eugenius*.]

18. Prodit hanc corporis Eunuchi effœminationem pinguedo flaccida, qualis fœminarum, atque placiditas, ijſdem cum naturaliter ſe habent conſentanea, ob frigidum & humectum corporis habitum. Sic enim ſpadones caſtratione pingueſcunt, vt ex capis patet. Et idcircò ruſticus apud Apuleium l. 7. Mileſ. volentibus aſinum præſtigioſum iugulare, ob laſciuiam atque ferociam, autor eſt, vt dimiſſa cæde adhibeant potiùs deteſtationem; (ſic vocat exectionem teſtium;) [cum exectis genitalibus (inquit,) poſſit neque in venerem vllo modo ſurgere, nóſque omni metu periculi liberare, inſuper etiam longè craſſior atque corpulentior effici. Multos ego ſcio non modò aſinos inertes, verùm etiam ferociſſimos equos, nimio libidinis calore laborantes, atque ob id truces, veſanóſque; adhibita tali deteſtatione, manſuetos, ac manſues exinde factos, & oneri ferendo non inhabiles, & cæteri miniſterij patientes. [Poſſum petitis è domo ferramentis huic curæ præparatis, trucem amatorem iſtum atque inſuauem, diſſitis femoribus emaſculare, & quouis veruece mitiorem efficere.] Eſt *veruex*, aries caſtratus, ſic dictus à *verſa natura*, iuxta varronem; quia exectione miteſcit. Vnde Plautinus ſeruus, probroſo ignauiæ ſcommate, appellatur *veruecea ſtatua*. Itaque idem de aſino ferociente, ſi

Digitized by Google

exſcinderetur, ſpondebat atrox ille manſuetarius. A frigore deinceps vberiore, & humiditate, prodit ea cicuratio arietis execti. Idem ergò proportione accidit homini cum exſcinditur, & in habitum corporis fœmineum, mollem, flaccidum, ac frigidum, proindèque imbellem & deiectum, vertitur. Quomodò autem ea effœminatio, fiat aliquandò libidinis illecebra viro, videndus Ludou. Cælius l. 15. c. x1.

19. Damnum alterum corporis ab Eunuchiſmo, eſt deformitas. Nam tametſi ad breuem moram, flos vernantis elegantiæ prorogari videtur, vt propterea abſcindi pueros inductum ſit, teſte Iuuenali atque Petronio; tamen ver illud mox marcet, fitque lurida facies (vt Ammianus agens de ſatellitio Eunuchino matronarum Romanarum dixit l. 16.) Viſus hebeſcit Eunuchis, Ariſtotele teſte ſect. 4. Probl. 3. At magna pulchritudinis corporeæ pars, efflorеſcit in oculis, quos propterea amorem ſpirare, dixit Heſiodus. Spirant vtique & conciliant amorem dum vingent: è contrario cum propè marcent, & luſcum reddunt hominem vel cæcutientem, de ſpecie corporea multùm decutiunt. Quid barbæ defectus in mare pluſquàm pubere, quanta pulchritudinis detritio eſt? Eſt enim barba in maſculo, idipſum quod in Gallo criſta, quam ſi Gallo adimas, turpem omninò reddas, iuxta Epictetum apud Arrianum l. 1. c. 16. vbi addit, barbam eſſe *Dei in homine inſigne.* Eſt enim diuini in maſculo principatus & virilitatis nota, vt diſſerit Clemens Alexandrinus 3. Pæd. c. 3. & Caſſiodorus l. de anima c. 17. Ac proinde inſigniter facit ad venuſtatem viro dignam. In quam rem plura in ſcalis à viſibil. creat. ad Deum gradu x1. *à pag.* 301. Quàm verò ad corporis elegantiam confert barba, tam ad deformitatem facit eius defectus in mare. Itaque facies Eunuchina hoc virili decore deſtituta, meritò turpis habetur atque deformis; accedentibus præſertim alijs adiunctis emaſculati corporis, vt luriditate & rugoſitate præmatura. Hoc punctum de Eunuchorum deformitate ex barbæ defectu, illuſtrari poteſt additis alijs quæ addenſat Adrianus Iunius comment. de coma cap. 2.

20. Hinc factum, vt ad eam deformitatem plerique iam



Digitized by Google

olim exhorruerint, & occurſum Eunuchi, habuerint pro ominoſo & inauſpicato. Quod Brodæus 4. Miſcell. c. 1. ex varijs illuſtrat, & nominatim ex Luciano, quem etiam ad hoc adducit Martinus à Roa Tomo 2. ſing. l. 2. c. 1. Eſt quidem verum, pleriſque Eunuchi occurſum habitum eſſe inauſpicatum, & ominis refertum, non modò propter faciem luridam, ſed etiam propter ſterilitatem. Qua ipſa ratione, deliri quidam, mali ominis eſſe cenſebant, occurrere virgini, vt memorat. S. Chryſoſtomus; quia quamuis virgo poſſit ſpeciem habere exquiſitam, tamen dum virgo eſt, nihil parit. Nihilominus conſpectum quoque informis formæ, & luriditatem faciei Eunuchinæ, potuiſſe aliquibus horrorem conciliare, dubitare non licet, cum id præſtet quæuis deformitas. Sic enim Adrianus Imperator, Mauri hominis occurſum ſibi duxit ominoſum. Et Octauius, Tranquillo teſte, *pumilos atque diſtortos, & omnes generis eiuſdem, vt ludibria naturæ, malique ominis abhorrebat.* De tetra item facie ac lurida, Iuuenalis aiebat.

*Et cui per mediam nolis occurrere noctem.*

Lurida autem eſt, (ſi quæ alia,) Eunuchi facies, vt propterea Hieronimo ad Euſtochium de cuſtod. virginit. *facies Eunuchina*, dicatur pro turpiſſima & deformiſſima. Rugoſos Cleopatræ conſiliarios Eunuchos, ob turpitudinem, dixit Horatius Epodo 9. Et quamuis ad aliquam morulam videatur per exectionem prorogari faciei ſpecies, vt ſupra notaui tamen vt aduertit S. Cyrillus apud Suidam V. σπάδωνες, præcoci ſenectute occupati, euadunt deformiſſimi.

Digitized by Google

# CAPVT IIII.

*De Eunuchiſmi factitij morali bonitate, atque malitia, vniuerſè.*

EVnuchiſmus natiuus, eo ipſo quod eſt à natura, vacat culpa & laude, vnde eius duntaxat commoda & incommoda merè naturalia proſecuti ſumus, quia déerant moralia. In Eunuchiſmo autem factitio, locum habere poteſt moralis honeſtas & turpitudo. Itaque ad eas vniuersè ac ſigillatim enucleandas, eſt progrediendum.

## §. 1. *Quæ factitia Eunuchizatio poſſit labe morali vacare, & honeſta haberi.*

1. In triplici euentu, poteſt honeſta eſſe maris exſectio; nempè 1. ad iuſtam vindictam de hoſte ſumendam. 2. ad mulctam iudiciariam pro aliquo crimine eam pœnam commerito. 3. ad neceſſariam medicationem.

Quod hoſtis poſſit hoſtem ſubactum mulctare ex iuxta cauſa per exectionem, pono extra dubium. Nam hoſtis in iuſto bello victor, poteſt ſi neceſſe ſit ad victoriæ conſummationem, vel ſecuritatem, hoſtes ſubactos letho dedere. Quantò magis ergò poteſt in eundem finem, membro ad vitam non neceſſario ſpoliare? Item hoſtis ſi nolit bello iuſto ſubactos interimere, poteſt eos *ſeruare*: id eſt iuxta priſcam verbi notionem, addicere ſeruituti. Quod incommodum ingenuis & libertatem omni auro pretioſiorem ritè æſtimantibus, ipſa morte grauius plerunque videtur. Poteſt igitur victor hoſtem ſubactum damnare exſectione, ſi culpa id ferat: Eritque potiùs agnoſcenda in eo euentu gratia victoris, quàm auerſanda truculentia & feritas. Meliúſque eſt bello ſubactis ſic multari, quàm funditus deſtrui, quod honeſtè fieri à victore poterat. Et ſicut alterum membrum poterat in pœnam præſcindi; V G. naſus, aut oculus,

Digitized by Google

ita & pars de qua agitur. Nam quod Naas Ammonitarum Rex, crudelitatis barbaræ arguitur, quod vellet ſubactos à ſe Iſraëlitas multare effoſſione dextri oculi, habet longè diſſimilem cauſam; cum Iſraëlitæ eſſent innoxij, & peteretur vt ipſimet ſe deformarent; non ad iuſtam vindictam, ſed ad exſaturandam feritatem, innoxiorum vexatione. At nos agimus de ſupplicio iuſto noxiorum hoſtium. Sic deuictus Phocas Tyrannus, iuſſu Heraclij, vt nonnulli referunt, (ordinem tamen inuertente S. Nicephoro Conſtant. in hiſtoria,) primùm truncatus eſt pudendis, tum letho datus. Sic Patrum memoria, Ammiralius Collignius, Caluini in Gallia promotor in ſan-Bartholomæana vindicta publica, parte qua vir erat truncatus eſt, priuſquàm de feneſtra deiectus, malè periret. Poſſe ergò hoſtem deuictum, à victore multari ad eum modum, non videtur dubitandum.

2. Sed duo ad honeſtatem huius vexationis depoſcebam. Primùm vt vexatio inferretur ipſi noxio, non autem filijs eius innoxijs. Filius enim innocens, non debet portare iniquitatem patris nocentis; neque poteſt pro patris ſcelere occidi, ſi nullam in talis ſceleris patratione habuerit partem. Igitur neque poteſt patris noxij culpa exſecari; tametſi ita plerunque fecere homines impij, ad curandam ſibi ſecuritatem inuaſi principatus, obſtructa deceſſoris ſucceſſione. Fecit hoc Leo Armenus, homo truculentus, in filios Michaelis, Theophilactum & Ignatium. Eodem modo ſe geſſit Michael Balbus erga quatuor filios Leonis vt narrat Cedrenus ad annum 820. ex illius tẽporis autoribus & Baronius eodẽ anno. Ipſum igitur hoſtem noxium, non filios, exſecare iuſtum fuerat: quia quamuis pater puniatur in filijs, cum filij vel truncantur, vel letho dantur, vel aliter affliguntur, iuxta doctrinam S. Gregorij l. 15. mor. c. 31. & creditum Auguſtinum l. 6. qq. vet. Teſtam. cap. 8. & latè Petrum Fabrum lib. 3. ſemeſtr. cap. 8. Tamen ea punitio patris noxij in filio innoxio, iniuſta eſt, quia inuoluit vexationem grauem innocentis, nullo iure conceſſam: alioqui liceret, ad vexandum patrem necare liberos eius paruulos, in oculis paternis, vt factum eſt Sedeciæ à Nabuchodonoſore 4. Reg. 25. &

Digitized by Google

Mauritio à Phoca. At ex diuino oraculo, nefas eſt homini filium alterius innoxium plectere pro culpa patris, vt diſertè deciditur Ezechielis 18. diligentérque ibi contra varias minùs aptas interpretationes cõcludit Pado *ad verſum* 20. Deus tamen ( quippè ſupremus omnium Dominus, ) innoxium nocentis filium afficere graui malo poteſt, etiam morte, vt contigit filijs Pentapolitanorum, incendio ſublatis cum parentibus. At homini victori, fas eſt ſæuire in ſolum patrem noxium. Atque ita ſolus pater poteſt à victore exſecari. An verò poſſit victor adigere deuictum, vt ſe ipſemet exſecet, alia quæſtio eſt. Agendo quidem de vita, certum eſt non poſſe à Tyranno præcipi, vt quis ſibi eam eripiat, quamuis id præcipere in more poſitum ſit apud Iapones. At cum per exſectionem mors non ſit certò inferenda, ( vt ſupponitur, ) non videtur negandum, quin poſſit noxio exſecandi ſecurè perito demandari, & ab eo poſſit licitè perfici, vt dicitur cum de ſui mutilatione per adactum. Non eſt ad has regulas admetiendum, quod factum eſt à Barbaro homine circa Panionium, qui Hermotinum exſecuerat vt cariùs venderet, & poſtea in Hermotini poteſtatem venit; ſic ergò lego apud Herodotum lib. 8. in perſona Hermotini alloquentis Panionium. [ Dij iuſta lege vtentes, te infandorum opificem, tradiderunt in manus meas, vt de pœna à me tibi irroganda queri non poſſis. Hæc vbi exprobrauit homini, filijs qui quatuor erant in conſpectum eius adductis, coëgit patrem illorum genitalia recidere: quod cum coactus feciſſet, filij ſui adacti ſunt, eius virilia abſcindere. Ita ſupplicium ab Hermotino in Panionium redijt. ] Multiplex hic barbari hominis æqui fines prætergreſſi, ſæuitia cernitur, auerſanda potiùs, quàm ad recti normam exigenda. Nam & patrem filij, & filios Patri, crudeliter iniurioſos eſſe adegit. Vranum quidē patrem Saturnus abſciderat, quod forſitan verè accidiſſe Lactantius ait l. 1. c. 12. Sed hoc totum Stoici ad rationem phyſicam traduxere. Non eſt inueriſimile id eſſe detritum ex narratione de Noachi Eunuchizatione per filij Chami maleficium, vt aiunt Hebræi. Vndè à Theophilo l. 3. ad Autolyc. Noë vt mox dicam vocatur Eunuchus. Quanquam alij hoc referunt ad eius abſtinentiam

Digitized by Google

ab opere maritali poſt diluuium, vt cenſet S. Chryſoſto. Hom. 29. in Geneſ. Et alij eam quoque abſtinentiam diffitentur, vt Torniellus poſt Caietanum in c. 9. Geneſ. Admittit tamen Salianus anno mundi 1658. cum Chryſoſtomo, Epiphanio & & Abulenſi. Vt vt ſit, nulla impiorum filiorum ſæuitia in parentes, potuit in exemplum honeſtandæ Hermotini crudelitatis aſſumi.

3. Alterum quod depoſcebam ad honeſtatem exſectionis, deuicto noxio inferendæ, erat cauſa iuſta & proportionata; Non eſt cauſa iuſta, cum ex mera regnandi libidine, impius quiſpiam iuſtum poſſeſſorem deijcit de throno; & vt abſque metu hæredis legitimi teneat inuaſum principatum, prohibiturus fieri patrem, adhibet illi exſectionem: quod magno cum dedecore ſuæ ſuperſtitionis factum Cœlo à Saturno filio, commenti ſunt Ethnici. Idem Noëmo accidiſſe à Chamo filio per carmen Magicum, Fabulantur Hebræi apud Theophilum l. 3. ad Autolyc. Æquè ex nulla cauſa, imò cum enormi flagitio, Hæretici Caluiniani, perſæpè in Sacerdotes Catholicos ad eum modum ſæuierunt. Sic in vico *Flouran*, vt eſt in Theatro crudelitatis Caluinianæ *pag. mihi* 45. truculentus Chirurgus, Bethunei Caluiniſtæ præfecti adminiſter, Presbyterum Catholicum exſecuit, & letho dedit; gloriatus hunc eſſe decimum ſeptimum, quem ſic laniaſſet. Et in vrbe Mancina Presbyter grandæuus; barbarie, cuius vel ſola relatio aërem inceſtat, pudendis manu Caluiniſtica truncatus eſt, & ijſdem igne toſtis in os violenter ingeſtis paſtus, fiſſo ad immanitatis cumulum ventriculo, vt viderent truces oculi quomodò fieret horrendi cibi concoctio. Ita legitur in eodem Opere *pag. mihi* 49. Similem truculentiam alter Phalaris, Rachis, in Regem Cunipertum coniuratus, animo deſtinarat; cum puteum Sacerdotum Catholicorum teſticulis abs ſe implendum, interpoſito Sacramento eſt conteſtatus, vt ſcribit Luitprandus l. 4. de rebus in Europa geſtis c. 6. In edicto Henrici ſecundi Anglorum Regis contra S. Thomam Cantuarienſem, pro tuendis Regni conſuetudinibus, ſemel & iterum in perſonas ſacras ei edicto refractarias, infligitur pœna exectionis. Longè anteriùs S. Arialdus

Digitized by Google

aldus Diaconus Mediolanenſis à nepte Vidonis Antiſtitis ſimoniaci, per duos Clericos filios Belial, cum diuexatus omni truculentiæ genere, tum nominatim exectus eſt, vt ſcribit in eius Actis Syrus Presbyter. Hos omnes defecit cauſa iuſta? Itaque exſectio quam patrarunt, vel patrare deſtinarunt, fuit laniena ſcelerata.

4. Sed neque ſufficit cauſam exſecandi iuſtam eſſe, niſi ſit etiam proportionata culpæ; ita vt non ſit grauius ſupplicium, quàm demeruerint noxij. Sic non videtur poſſe excuſari à truci immanitate, quod ſub Dario, Iones penè omnes, exſectione multati ſunt, vt ſcribit l. 6. Herodotus. Nec illud magis moderatum quod factũ eſſe à Theobaldo Camerinorum principe poſt Græcorum exercitum fugatum, obſidente Beneuentum, produnt Cuſpinianus & Crantzius; referentes, eum quotquot ex hoſtibus capere potuit, euiratos remiſiſſe, addito barbaro illo ſcommate, *Quandoquidem Imperator veſter Conſtantinus, Eunuchis gaudet, quotquot emiſerit Gallos, remittam capos.* Ea in quemuis occurſurum ſæuitia, tranſgrediebatur limites moderatæ vindictæ: præſertim cum ex obuijs multi, poſſent eſſe innoxij, nec participes flagitij, propter quod ſumi poterant pœnæ de reis; qui nunquam ſunt omnes in notabili aliqua multitudine compræhenſi. Vnde Theodoſius à S. Ambroſio multatus eſt, quod infenſus Theſſalonicenſibus qui præfectum militum ſeditione facta interemerant, per immiſſum clam militem ſine diſcrimine nocentium, & innocentium ſæuiſſet, ſeptem hominum millibus intra trium horarum ſpatium obtruncatis, ſpecie iuſtæ vltionis, vt eſt apud Sozomenum l. 7. c. 24. & Theodoretum l. 5. c. 17. Sed ea vltio, viſa eſt ſancto Antiſtiti ſupergreſſa debitum modum. Quod item pronunciatum eſt de vindicta qua Iuſtinianus 2. Rithometus, in Cherſonenſes à quibus violatus fuerat, planè truculenter eſt graſſatus indiſcriminatim, vt narrant Theophanes, & Conſtantinus Manaſſes ad annum 710. Quæ & alia huiuſmodi facta, immanitatis à ſapientibus notata, monſtrant, iuſtam vltionem deuictorum, non eſſe admetiendam ad potentiam in ſubactos; nec iuſtum cenſeri, cum in omnes magnæ alicuius magnitudinis cæcum



Digitized by Google

furorem, quo omnes promiſcuè trucidentur à victore, iam ſoluto quouis iuſto metu. Similiter ergo in re præſenti, exectio tam multorum promiſcuè indicta, vel facta abſque delectu, non poteſt non haberi truculenta & immanis; tantum abeſt vt ſpecie iuſtæ vindictæ obduci poſſit, ne non niſi curia paucos & noxios exeri debet.

5. Dicebam ſecundo loco, Eunuchizationem poſſe iuſtam eſſe, ſi Iudicis autoritate inferatur tanquam pœna peccati, quod eam vexationem ſit commeritum. Sicut olim publica ſententia, ignaui in bello, murci fiebant, id eſt truncis pollicibus multabantur, vnde vernacula denominatio, *Poltron* à pollice trunco: ſic vt criminoſus luat in membris, quod male patrauit ſi criminis quantitas id ferat, poteſt licitè multari exſectione. Erítque id etiam congruentius, ſi in quo quis peccauit, in hoc etiam puniatur: quod ſeruaſſe Ægyptios, mox dicam. Ex lege autem Salya, fures ſerui, ſi aliquid ſurripuiſſent valens 4. denarios, exſectione multabantur, vt habetur tit. 13. de furt. ſeruor. nec non qui mœchatus eſſet cum ancilla aliena, vt habetur tit. 29. de adult. ancill. §. 6. Et quoad legem illam in fures, quam iniquitatis arguit Gul. Benedictus ad cap. *Raynucius* de Teſtam. V. *qui cum alia* num. 17. ipſa tegit ſeipſam, veneranda ſua antiquitate. Quod item dico de altera pœna adulteris inflicta in eadem ſalyca lege, quam non obſcurè etiam criminatur ibidem Gul. Benedictus. Æquè Iuſtinianus nouella Conſtit. 142. caſtratores edixit caſtrari, & pati quod feciſſent. Item placando numini pæderaſtas quoſdam Byzantinos primarios virilitate priuatos, lethodedit. Dehoneſtator vnius è nuribus Philippi Pulchri, in ſcelere deprehenſus, priuſquàm laqueo collum insereret, exſectione eſt multatus. Hæ igitur pœnæ iudicis ſententia irrogatæ labe vacare potuerunt, & nominatim quæ decernebatur in abuſos ſexu cum iniuſtitia; vt qui per didymos deliquerunt, in ijſdem crucientur, vt ille Didymon in adulterio deprehenſus, de quo ita pronunciatum eſt Diogene ἄξιος ἐκ τοῦ ὀνόματος κρεμάσθαι. *Dignus ex nomine ſuſpendi*, id eſt, ex ſuis didymis, quorum præfert appellationem.

Digitized by Google

6. Cæterùm vt exſectio iuſtè inferretur, volebam interuenire Iudicis autoritatem, tanquam vindicis publici. Exſectio enim quam priuati furor, læſum ſe arbitrantis, infert ei qui læſit, non vacat iniuſtitia V. G. Petrus Abelardus, cum Canonici Pariſienſis Neptem Heloiſam domi apud Canonicum erudiret, eique vitium intuliſſet à puellæ cognatis in rabiem actis propter domeſticū dedecus, priuata autoritate eſt euiratus: quam fuiſſe vindictam illicitam, eſt manifeſtum. Et æquè nefaria fuit, ſi priuata autoritate facta eſt repenſa executoribus trucis illius vltionis, exoculatio ſimul & exectio, vt refert ipſe Abelardus in ſuarum calamitatum Hiſtoria c. 7. Trium Sacerdotum eo modo multatorum exempla, notat Plaza in Epito. delictor. cap. 25. n. 13. Et hoc item fuit nefarium. Idem dico de alio exemplo, quod mea ætate contigit apud Cauares. Mulier nequam, à proco abalienata, quod is alijs irretitus pedicis, aliquandiu eam auerſari viſus eſſet, acta in rabiem, reuerti in idipſum optanti proco, horam condixit, & abdito intra cubilis lintea cultro tonſorio exquiſitè exacuto, in procinctu ad opus nefarium, virilitatem totam amputauit. Miſellum tamen Sporum, præcellens Valreacenſis Medicus, cui *à Villanoua* nomen, artis propè miraculo, eripuit letho. Hanc ergò truculentam vindictam, & ſimiles propria autoritate de ijs qui læſerant, ſumptas; nego ſufficere ad iuſtam exſectionem: ſed id admitto duntaxat, de ea mutilatione quæ autoritate Iudicis, ſcelus aliquod eam pœnam commeritum punientis, decernitur, & infertur. Qua ratione ex lege Ægyptiorum apud Diodorum l. 2. c. 3. adulter naſo plectebatur: qui autem liberam mulierem violaſſet, exectione virilitatis multabatur. Id quod apud Romanos quoque vſurpatum, docet exemplum Canbonis à Bibieno eam ob cauſam ita plexi, vt ſcribit Valerius l. 6. c. 5. vbi de iuſtitia, & Ælianus lib. 13. var. hiſtor.

7. Aiebam tertio loco, honeſtam quoque fore exectionem & Eunuchizationem, quæ fit à Chirurgo ex neceſſitate valetudinis & vitæ conſeruandæ. Et iuxta Syluestrum V. *Corpore vitiati* num. 3. ac Toletum l. 1. c. 63. poſt Innocentium cap. *ſignificauit* de corp. vitiat. perinde erit ſi ipſe æger ſecandi peri-

tus, ex ea neceſſitate ſeipſum mutilet. Agnoſcunt hanc iuſtæ exſectionis cauſam ſacri Canones, vt infra diſtinctiùs referam. Ferientes enim Eccleſiaſtico fulmine, eos qui prætextu continentiæ ſe caſtrabant; ijs tamen qui id patiuntur vt medicinam faciant morbo vitam alioqui vaſtaturo, impunitam eſſe volunt eam mutilationem. Vnde tales Eunuchi, non ſunt irregulares, nec repelluntur à ſuſcipiendis ordinibus, vel à miniſterio in ſuſceptis ante exectionem in quo non eſt audiendus Balſamon, contrarium affirmans ad cano. 24. Apoſtol. quoad eos qui poſt Sacerdotium ſuſceptum, caſtrantur ob morbum: quos depoſitione multari tradit. Sed perperam nam expreſsè iura eum qui abſque ſua culpa, ( vt hîc contigit, ) abſcinditur, excludunt ex eorum numero qui ſunt irregulares propter abſciſſionem, vt conſtat ex c. *ſi quis à Medicis* & ſeqq. d. 55. & cap. *ex parte* de corp. vitiatis. Et ita ex communi ſententia Couarr. ad Clem. *ſi furioſus* p. 1. princip. n. 5. & Nauarr. in ſumma c. 27. num. 200. qui rectè monet, eſſe vulgi errorem, quod ad licitè miniſtrandum, neceſſe ſit partem abſciſſam, intra pyxidem geſtare. Idem tradit Gloſſa c. *Eunuchus* d. 55. & Ancharan. c. 3. de corp. vitiatis, ex Ioanne Andrea itémque Toletus l. 1. ſummæ c. 63. n. 4. Et meritò id tradunt. Nihil enim tale mandant ſcita Eccleſiaſtica, quæ ſimpliciter ferunt, exſectos à Medicis, non incurrere irregularitatem, vllamue pœnam, nec adiungunt illud grauamen.

8. Obiter autem aduerte, cum dicitur *exſectos à Medicis*, ea immunitate gaudere, intelligendum eſſe ob neceſſitatem ſalutis corporeæ alioqui in diſcrimen vocandæ, niſi exciſio adhiberetur. Nec noſtrâ intereſt, an *Medici* illi ſint, qui nunc paſſim *Medici* audiunt, an Chirurgi. Olim enim hæc officia non erant diſtincta, ſed ijdem vtrumque munus obibant, vt habetur ex Celſo lib. 7. c. 19. Plinio lib. 20. c. 1. ac etiam ex Galeno qui in Opere de curat. per ſanguinis miſſionem, ſæpè profitetur, ſe venas incidiſſe, quod nunc munus duntaxat eſt Chirurgorum. Conditura item corporum, quæ abſque exenteratione perfectè obiri nequit, à Medicis peragebatur, vt habetur Geneſ. 50. cum de curatione corporis Iacobi demor-

Digitized by Google

tui, indicta à Ioſepho ſeruis ſuis Medicis. Et tamen exenteratio, opus eſt Chirurgi. Medici item erant, qui exſecabant, & faciebant Eunuchos, vt habetur *l.* 7. ff. *ad l. Aquiliam*, & §. *præterea* Inſtitut. eodem titulo, nec non *l.* 4. ff. *ad l. Corneliam de ſicar.* Itaque liquet, Medicos Chirurgorum munera obiuiſſe, & eoſdem fuiſſe Medicos ac Chirurgos, vt notauit Mercurialis 1. var. 13. edit. vltimæ *in fine addens*, id ſeruatum eſſe vſque ad Galeni ætatem, qui ſub Marco Imper. Romæ floruit. Et de ijſdem Medicis mandantibus aut ſimul exequentibus exectionem, intelligendi ſunt Canones, qui exſectos à Medicis (vtique ad medendum cauſa morbi, & ex neceſſitate tuendæ vitæ,) aiunt immunes eſſe à pœnis, & inhabilitatibus Eccleſiaſticis.

9. Porrò ad huius Medicæ mutilationis honeſtatem, parùm refert quæ pars laboret morbo cui depellendo neceſſaria eſt exectio. Nam ſiuè ægritudo afficiat partes, quarum ſublatione fit Eunuchus, ſiuè alias partes, perinde eſt; dummodò ad tuendam vitam, quæ ob illud aliud membrum ægrum periclitaretur, neceſſaria ſit exectio. In quo diſplicet Zonaras, qui ad Canonem 24. Apoſtolorum, ait, exectionem non eſſe licitam, niſi ob ſolum morbum circa genitalia. Sed videtur aliter ſentire ad Canonem 8. Synodi quæ dicta eſt 1. & 2. Et omninò ita dicendum eſt. Nam vndecunque immineat ſaluti corporeæ diſcrimen, ſi depelli poſſit per huius alterius partis exſectionem, licitum eſt proſpicere bono communi, cum diſpendio partis. Nimirum pars eſt propter totum; & peribit ipſa quoque, niſi ſaluti totius conſulatur ea ratione. Vnde quia vt ſupra vidimus, ad lepram curandam confert exectio, nihil vetabit, huius partis abſciſſione conſulere toti lepra laboranti, & per eam perdendo. Et idcircò Innocent. 3. ſcribens ad Epiſcopum Pariſienſem, annuit, vt Michael Pariſienſis Presbyter, ob lepræ periculum exciſus, gradum ſuum retineret. Quinetiam ſi ad lethi præuentionem neceſſaria cenſeatur exectio, vel admodùm opportuna ad auertendum mortis diſcrimen aut apertum, aut valdè probabiliter imminens, fas eſſe videtur adhibere exectionem.

10. Fortaſſis autem ita contigit in ea immani peſte quam

Thucidides l. 2. deſcripſit, in qua ait pleroſque incolumes euaſiſſe, abſciſſis ſibi virilibus, quod Lucretius l. 6. ſic expreſſit.

*Et grauiter partim metuentes limina lethi*
*Viuebant, ferro priuati parte virili.*

Hoc Mercurialis l. 3. var. c. 12. putat intelligendum de his partibus iam lue contactis, quas ægri abſciſſas vellent, ne peſtis ſerpens, vitalia depaſceretur, & mortem inferret. Sed neque Thucidides, neque Lucretius, memorant partes illas iam fuiſſe corruptas, aut peſte attactas; ſed tantùm dicunt, abſciſſionem illam fuiſſe ſaluti; & peſtem ea ratione eſſe declinatam. Itaque ſuſpicio eſt quia partes illæ ferè primæ continguntur peſtifero attactu, eo quod ob teneritudinẽ ſint maximè obnoxiæ impreſſioni externæ, aliquos in ſui conſeruationẽ intentos priuſquàm lue vllatenùs corriperentur, præoccupantes virus & exitium, adhibuiſſe exectionem, idque eis ſaluti fuiſſe, ac veluti amuleto; quod cenſebant honeſtè vſurpari ad declinandum imminens periculum ruinæ corporis totius. Membrum enim, (vt dicebam,) non eſt propter ſe, ſed propter totum in quo eſt. Itaque vt ſalus corporis totius ſit planè in tuto, & declinetur periculum exitij idem vel certò, vel admodùm probabiliter imminens, exiſtimabant anticipata mutilatione abſcindi poſſe, ne ſerò medicina pararetur, ſi expectaretur virulentiæ peruaſio introrsùm, aut contagium illius ipſius partis, quæ adhuc ſana abſcindebatur. Ratum igitur eſto, exſectionem in tribus propoſitis euentibus poſſe abſque culpa adhiberi.

11. Aduersùs omnia prædicta, video opponi poſſe, hominem non eſſe ſuorum membrorum Dominum, vt habetur l. *liber homo* ff. *ad l. Aquil.* atque adeò nefarium eſſe, vel ſibi membrum de quo agitur, eripere, vel annuere vt ab alio eripiatur, non obſtante periculo quod obtenditur: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Sed negandum eſt, fieri malum ſiue peccatum, cum ad ſalutem totius, vel hoc de quo agimus, vel aliud membrum ad vitam non neceſſarium detruncatur. Quod de membro iam putri, & vitium ſuum alijs partibus communicaturo, eſt per ſe perſpicuum. De membro autem adhuc ſano, idem ſtatuit Sotus l. 5. de Iuſt. q. 2. artic. 1.

Digitized by Google

Nam ad vitandum maius malum, quàm ſit deperditio membri ſani, fas eſt illud membrum reſecare. V. G. qui habens manum ferro illigatam, perſpiceret pereundum ſibi eſſe ab incendio improuiſo, niſi abſcedat, poſſet ſibi abſque culpa manum demetere. Item ſi quis in carcere aut triremi, pede aſtrictus, poſſet ſe certæ morti, aut ærumnoſæ ſeruituti ſubducere, abſciſſione pedis, nihil vetaret pedem amputare, vt rectè cenſuit Mel. tract. 3. de Iuſt. diſp. x. qui id extendit ad euentum, quo Tyrannus, ex mera crudelitate mandaret ipſimet homini, ſui alicuius membri abſciſſionem, ſi vitam ſaluam vellet. Annuuntque quoad hunc quoque euentum Toletus lib. 5. Inſtruct. Sacer. c. 6. Leſſius l. 2. de virtut. c. 9. n. 101. Filliuc. tract. 29. n. 79. & Bonac. diſp. 2. de reſtit. q. vlt. ſect. 1. p. 6. malè repugnantibus Soto ſupra, Banne, ac Salonio quibus inhæret Luiſius Turrianus tomo 2. in 22. diſp. 29. dub. 1. n. 5. Verùm Tyrannus de quo agimus, non eſt minùs cauſa externa, quàm ignis: quo ingruente & vaſtitatem toti corpori intentante, licitè truncari membrum ſanum, admittit Soto. Nimirùm cum membrum non ſit propter ſe, ſed propter totum quod conſtituit; nec ſit ſuppoſitum diſtinctum, & capax diſtinctæ ab eo iniuriæ, vt eſt cuius ad communitatem comparatus; ſed ſit aliquid totius quod integrat; licitè naturali iure de eo diſponitur, prout maior compoſiti ad quod attinet, neceſſitas tulerit, ſiuè neceſſitatem truncandi inijciat interna cauſa, puta cancroma, ſiue externa naturalis. V. G. ignis, ſiuè externa cauſa libera, ſed violenta & iniurioſa, vt Tyrannus ex mera crudelitate, triſte hoc miniſterium demandans homini. Dico *ex mera crudelitate*, quia ſi ita præciperet, quia vera religio prohibet mutilationem; aut ſi in pœnam impenſæ abſolutionis, vel celebrati ſacri, iuberet Sacerdotem ſe mutilare, Leſſius numero illo 101. arbitratur mutilationem fore illicitam, ne parendo truci mandato, approbari videretur veræ fidei deſpectio, in Tyranni præcepto inuoluta.

In tribus ergò euentibus propoſitis, exectio eſt innoxia; nec vel Canonico vel Ciuili iure multatur; quippè commiſerationis potiùs materia, quàm pœnæ aut exprobrationis, quæ in

Digitized by Google

ſolam culpam vel ad eam conſequentia, iure cadunt.

§. 2. *Omnem alium Eunuchiſmum factitium, deteſtatione dignum eſſe, vniuerſè primùm monſtratur, ratione.*

1. Vt vniuersè primùm doceam, præter tres propoſitos licitæ Eunuchizationis euentus, cæteros reprobos eſſe, ac deteſtandos, vt fert vox *deteſtationis* pro exectione ab Apuleio vſurpata lib. 9. Mileſ. annuente Plinio qui l. 11. c. 49. ſine teſtibus factos, appellat *deteſtabiles*; initium duco à rationibus vniuerſalibus auerſandi hanc lanienam, poſtea delapſurus ad autoritatis ſuffragium. Nam quamuis in diſputatione ordinata, iuxta D. Auguſtini pronunciatum l. de Ordine c. 5. rationi priùs aperiat autoritas ianuam, tamen quia rationes hic proferendæ, nituntur ſenſui magnorum ſapientum, cum noſtratium, tum externorum, & ex eis depromentur, perinde videbor auſpicatus ab autoritate. Viſum porrò eſt, præmittere hoc loco rationes iſtas vniuerſales, ne inferiùs tractando ſingulares euentus in quibus aliqui cenſuere contrarium quàm quod veritati conſonum puto, cogar toties has rationes expandere: Ducuntur autem vel ex Deo naturæ autore, vel ex natura humana, vel ex perſona cuiuſque propria. Latè in his rationibus exſpatiatur Abulenſis in cap. 19. Matth. q. 91. Ego non nihil amœnabo & illuſtrabo ſingulas.

2. Argumentor igitur, imprimis quia exectio extra euentus propoſitos eſt iniurioſa Deo, vt aſſeritur can. 22. Apoſtolorum & patet, quia ſtructura corporis humani, quaſi improuidè facta, mutilatur. Inſinuat hanc rationem S. Ambroſius l. 5. in hexæm. c. 3. *in fine*, vbi agens contra prætenſam induſtriam genera aliena confundentium, diuerſaque miſcentium ſemina; [ Hoc (inquit) quia de hominibus facere non poteſt, vt diuerſi generis commiſtio fœtum poſſit excudere, tollis homini quod natus eſt, & virum de viro exuis, abſciſſaque corporis parte ſexum negas, ſpadonem efficis; vt quod negauit natura, in hominibus impleret audacia. ] Natura, quæ iuxta Ambroſium negauit hominem edi mutilum, eſt natura princeps, ſiuè Deus naturæ creatæ autor, in cuius opificium graſſatur, qui illud

Digitized by Google

illud quaſi à Deo artifice malè conſtructum; immutare audet atque mutilare. Hæc autem non debet videri leuis in Deum opificem iniuria. Nemo ſanè fuit, qui Alphonſi Regis Caſtellæ (cuius ſunt Alphonſinæ tabulæ,) audaciam non demiraretur & Deo apprimè iniurioſam pronunciaret. Scribunt de eo Rodericus Sanctius parte 4. hiſtor. c. 5. Alphonſus Spina in fortalitio fidei (quod cum turpi plagio ſibi ſuppoſuit Bartholomæus Spina) lib. 4. conſider. 9. bello 138. & Mariana lib. 14. hiſtor. Hiſp. c. 5. blaſphemare iactanter ſolitum, ſi affuiſſet quo tempore Deus mundum eſt fabricatus, & eum Deus adhibuiſſet in conſilium, multa meliùs & ordinatiùs fuiſſe fabricanda. Blaſphemia illi gemina quam ex alijs habet Celſus apud Origenem l. 2. contra ipſum Celſum *ſub finem*. Hoc verò eſt horribiliter ſacrilegum, liceátque aduersùs huiuſmodi pecuinam ſtupiditatem exclamare, verbis Ruperti l. de volunt. Dei c. 6. [Hodie natus rudis homuncio, docere vult antiquum dierum cani & maturi capitis, qualiter debuiſſet operari, qui tunc operari cœpit quandò nullus noſtrum adeſſe potuit, vt illi operis normam oſtenderet, & digitos operantis in quamlibet partem, duceret, aut reuocaret.] At reipſa idem Deo veluti exprobrat, qui hominem exſecat, *quaſi Dei manus plus in nobis creauerit quàm neceſſe eſt*, vt loquitur S. Hieron. l. 1. in Iouin. adductus c. *ab exordio* diſt. 35. monſtrans, quàm imperfecta fuerit quæ meritò abrogata eſt lex Moſaica, cultellum circumciſionis apponens. Nec ſanè aliter erga microcoſmum ſe habet, qui illum exſecat, quàm fecerit Rex Alphonſus, & alij ab Origene relati circa macrocoſmũ. Nam hi quoque exſectores, Dei in microcoſmo immutant opificium, interuentu ſectionis.

3. Poteſt de hac diuinæ ſtructuræ immutatione liquére, ex eo quod Deus ſexus diſcreuit, iuxta illud, *maſculum, & fœminam creauit eos*, non quod primi parentes hermaphroditi fuerint, vt Plato in Sympoſio fabulatus eſt, & inſanè de Adamo dixit Gallus Nouator; ſed quod Deus vtrumque ſexum produxerit; in Adamo maſculinum, in Eua fœmineum, vt neceſſarium erat ad ſpeciei propagationem & multiplicationem: Tertium autem hominum genus quod nec mas ſit, nec fœmina, non pro-

duxit Deus in ſpecie humana. Hoc verò facit, qui marem exſecat, iuxta illud Zonaræ in Canonem 22. Apoſtol. conclamantis in caſtratos, factos ab hominibus [ Dei contrariantur opificio. Nam cum Deus ipſos in virorum naturam formarit, in alteram prodigioſam naturam prorsùs ab ipſis alienam ſeſe transformant, Ita, neque viri ſunt, ( nec enim quæ ſunt marium præſtare poſſunt, quoniam procreare non poſſunt hominem ) neque ſunt mulieres, non enim habent pariendi naturam. ] Hæc Zonaras gloſſans illud canonis 21. Apoſtolorum de exſectoribus,& eo qui illis ſubijcit, eſt *hoſtis opificij Dei* : quæ rata ſunt apud alios è noſtris, ſimiliter de Eunucho loquentes, *nec vir*, *nec mulier eſt.* Ita Lactantius l. 1. c. 21. Epiphanius in hæreſi valeſiorum, Nazianzenus in S. Athanaſij laudatione Prudentius *in Romano.* Ex externis verò Herodotus in vrania, Lucianus in Eunucho, non ſemel. Menander cuius illud eſt ſcitum æquè ac breue. *Eunuchus alia fera eſt in vita*, quia nec mas, nec fœmina. Idem habet Artemidorus lib. 2. cap. 14. & Valerius Max. l. 7. c. 7. omnes conſentaneè ad Alexandrum Seuerum, qui apud Lampridium, Eunuchos *tertium genus hominum* appellabat. Et ſubſcribit Mamertinus in Iuliani panegyrico, dicens de Spadonibus; [ quos quaſi à conſortio humani generis extorres, ab vtroque ſexu, aut naturæ origo, aut clades corporis ſeparauit. ]

4. Inde præterea poteſt diuini opificij per caſtrationem immutatio Deo iniurioſa perſpici, quod Deus effinxit hominem, varijs ætatibus, & varijs per eas affectionibus obnoxium. Eſt enim homo velut quatuor balnei cellaria, iuxta ſimilitudinem ab Epicteto adhibitam ad interrogationem 32. Adriani, benè illuſtratam à Corraſio & à Fortunato Scaccho Myrothecio 1. cap. 36. aut velut Macrocoſmus quatuor anni tempeſtatibus variè ſe habens. Nam quamuis quotidie homo, iuxta Antyllum apud Stobæum ſerm. 101. qualibet Die, quatuor illas anni tempeſtatum varietates aliquatenùs experitur; tamen multò expreſſior eſt variatio, quam ætates quaternæ, perinde ac mundo quatuor tempeſtates, inducunt. Verum eſt à Solone Solonem latè expendente Philone in Coſmopœia, ætates ad

ſeptenarium diffundi. Sed hoc illi faciunt, quia vnam ætatem pro maiore aut minore progreſſione, concîdunt in plures; cum ſpectata principali hominis per ætates mutatione, non niſi quatuor ſint conſtituendæ, vt præmiſi. Alia ergò eſt in ima ætate, vox temperies, viuiditas, elegantia formæ, & ſimilia; alia in prouectiore; & omnia illa adiuncta longè differunt in iuuene, & in progreſſo ad virilem ætatem, & in ſene. Eámque varietatem. Deus aptauit ad varia munia. Ad alia quippè gerenda aptus eſt adoleſcens, vir ad alia, & denique ad alia ſenex. Sicut in ſexu diuerſo, vt benè notauit D. Chryſoſtomus homil. 22. ex varijs in Matth. locis, pro varia corporis temperie & affectione, aptitudo munium eſt diuerſa. Euertit igitur ordinem à Deo conſtitutum, & concinnitatem quæ ex affectionibus varijs conſequentibus varias ætates enaſcitur, improuidè diſturbat, quiſquis affectiones vnius ætatis, puta vocem, ſpeciem, temperiem cum vna ætate conſentientem, tentat ad alias diffundere, & quod alijs ætatibus congruebat, expungit. Hoc per exectionem fieri, liquet ex diſputatis c. 3. vbi monſtratum eſt, habitum corporis ita immutari in exſecto, vt vox, forma externa, frigiditas, & huiuſmodi alia, non conſequantur viciſſitudinem ætatum cum eo notabili diſcrimine, quod cernitur in ijs qui corpore ſunt integro. Itaque rectè ſtatuebam, exſectionem eſſe diuino opificio iniurioſam: quod D. Chryſoſtomus homil. 64. in Matth. inter alia exſectionis probra non omiſit, & benè confirmat Abulenſ. in. c. 19. Matth. q. 39.

5. Enimuerò Tertullianus in mulieres decolorantes ſtibio ac ceruſſa faciem, & capillum croco vertentes, conclamat tanquam in reas magni ſacrilegij, ob immutatum opus Dei. [ In Dominum delinquunt, ( ait l. de cultu fœmin. c. 5. ) quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Diſplicet illis nimirùm plaſtica Dei in ipſis. Redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adijciunt, vtique ab aduerſario artifice ſumentes additamenta illa, id eſt à Diabolo. Nam quis corpus monſtraret mutare, niſi qui & hominis ſpiritum mali-

tia transfigurauit? Ille indubitatò huiuſmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodò manus Deo inferret. Quod naſcitur, opus Dei eſt. Ergò quod fingitur, Diaboli negotium eſt.] Hanc aliter Dei iniuriam in ea diuini operis corruptione vrget S. Cyprianus l. de hab. Virg. Et optimè quoque NAZ. orat. XI. collaudans Gorgoniam, [quod non eſſet illi paruo conſtans pulchritudo, terrenúſque fictor, in contrarium fabricans, inſidioſiſque coloribus Dei figmentum obducens, & per honorem infamiam inurens; ac diuinam formam, meretricium procacibus oculis idolum proponens, vt adulterina pulchritudo naturalem imaginem quæ Deo ac futuro æuo ſeruatur, ſurripiat.] Hoc enim planè eſt θεομαχεῖν, & Deo fabrican ſuam haud aptam obijcere, quandoquidem mutatur, quod ipſe fecit. At quantò major atque adeò terrior eſt diuinæ plaſticæ mutatio, quæ fit per exſectionem? Iuſtiùs ergò omnes illæ concitationes & conclamationes Sanctorum, huc cadunt.

6. Tranſgreſſa eſt hæc in Dei opus audacia, fines humanæ petulantiæ; quam S. Hilarius l. 3. de Trinit. ſolùm in Dei dicta incurrere expoſtulabat, eo quod non poſſet opera diuina mutare. [In ipſam (inquit,) veritatem infidelitas noſtra procurrit, & violenti in excidium poteſtatis Dei irrumpimus. Si liceret, & corpora & manus in cœlum leuaremus, ſolem aſtráque cætera annui curſus, ſuis limitibus perturbaremus; permiſceremus diſceſſus Oceani & acceſſus; fluenta etiam fontium inhiberemus, & naturas fluminum refrænaremus, concuteremus fundamenta terræ, & toto in hæc opera Dei parricidio deſæuiremus. Sed benè, quod nos intra hanc modeſtiæ neceſſitatem, natura corporum detinet. Certè non fallimus, quod ſi liceret eſſemus acturi. Namque quia non poſſumus; profana voluntatis audacia, naturam veritatis conuellimus, & bellum dictis Dei comparamus.] Saluum ſit optimi Patris verbum. Nunc certè, non ſiſtitur in dictorum Dei euerſione; ſed cum verbi Dei iſta improbantis conuulſione, præſtantiſſimum omnium Dei operum de naturali ſtatu emouetur.

7. Nectunt paſſim DD. violationem diuini opificij de qua hactenùs, cum violatione naturæ humanæ, ex qua ſecundo

Digitized by Google

loco argumentandum ſuſceperam. Volebat hoc Varro cum diceret. [ Qui ſe eunuchizat, in parte patriam & parentem extinguit. ] Nimirùm exſectio, eſt obſtructio, & arefactio fontium è quibus ſpecies humana exoriri & propagari poterat. Poteſt autem hoc argumentum æquè validè vrgeri, quæcunque demum ſtatuatur officina humoris prolifici, hoc eſt ſiue dicantur eſſe teſtes, vt habet communiſſima ſententia Medicorum, ſiue dicantur eſſe proſtatæ ac paraſtatæ. *Proſtatas* vocant glanduloſa duo corpora ad veſicæ ceruicem poſita, ſemen confectum excipientia & aſſeruantia. *Paraſtatæ* verò ſunt veſiculæ, item aſſeruantes ſemen. Aliqui ergo aſſerunt in his partibus elaborari ſemen non in teſtibus, quia aliquando inuenti ſunt qui nullos haberent teſtes, & tamen diſſecti poſt mortem, deprehenſi ſunt abundare ſemine in proſtatis & paraſtatis. Ita refert Bartholomeus Cabrolus, Obſeruat. 3. Anatom. de quodam nequam ob attentatam puellæ pudicitiam acto in crucem. Diſſectus enim ab ipſo Cabrolo, inuentus eſt abſque teſtibus, copioſo tamen ſemine præditus. Hoc tamen argumentum non eſt validum, quia humor ille repertus in proſtatis & paraſtatis hominis inteſtabilis,(vt verbum Apuleij retineam,) potuit eſſe ſemen duntaxat ſimilitudinarium, abſque vi prolifica; cum non prodatur, illum nequam, ſuſcepiſſe aliquando prolem. Addit Cabrolus alterum argumentum, petitum ex eo quod iuuenis Belliquadrenſis, duplicis prolis pater factus eſt cum coniugio ſe illigaſſet, nullis inſtructus teſtibus, ſed neque hoc argumentum eſt validum. Potuerunt enim teſtes introrſum deliteſcere, ſicut mulieres habent ſuos teſtes, exteriùs non conſpicuos. Quare argumenta quibus Autor ille monſtrari putat, teſtes non eſſe officinam ſeminis, inualida ſunt, ac expeditu facilia, quod autem Suidas V. *Hermias* ait, hunc Eunuchus cum eſſet, filiam Pythiadem genuiſſe, attritis ac confractis licet teſtibus, non vrget, quia potuit ei ſupponi illa proles. Sed quamuis daremus quod Cabrolus intendit, perinde eſſet ad rem præſentem. Nam autor ille rectè fatetur exectione teſtium auferri vim gignendi, quia per eam exectionem diſtringuntur vaſa præparantia & deferentia ſemen, &

Digitized by Google

continuitas ad eius curſum neceſſaria abrumpitur. Hoc dico ſufficere ad validitatem argumenti admoti contra exectionem, ex arefactione fontium humanæ naturæ. Siue enim ea arefactio fiat ob teſtium ablationem, ſiue ob nexam cum ea ablatione diſruptionem continuitatis partium ad curſum ſeminis neceſſariarum, perinde eſt ad præſens negotium.

Mihi tamen magis placet, argumentum cui hîc inſiſto, fundare in longè communiſſima ſententia Medicorum, aſſerentium, teſtes eſſe veri ſeminis officinam, illúdque ibi elaborari tanquam in proprio loco ad id à natura conſtituto. Ariſtoteles quidem 3. hiſtor. anim. c. 1.& l. 1. de gener. anim. c. 4. in aliam abijt ſententiam; inde petito argumento, quod pleraque animalia ſemine prolifico prædita vt piſces, ac ſerpentes, didymis careant. Sed Medici reponunt, in his quoque animalibus, aliquam eſſe proportionalem officinam ſeminis prolifici. Rident verò, cum audiunt referri ab Ariſtotele, taurum exectum, fuiſſe idoneum ad generandum. Verùm quia Varro, Collumella, atque Palladius apud Ludouicum Cælium l. 4. c. 7. id admittunt, ( dummodò taurus illicò ab exectione, ad illud opus applicetur, ) reſpondendum eſt, ei Ariſtotelico experimento, illudmet quod ipſimet Medici apud Iacobum Fontanum, & ipſum præcellentem Medicum 6. Phyſiol. c. 48. reſponderunt, ad euentum in nobili Delphinate agitatum; cum is prolem maſculam ſuſcepiſſet poſt ambos teſtes catapulta diiectos. Reſponderunt enim, ſemen iam in teſtibus confectum, & delatum ad proſtatas aſſeruari ibi potuiſſe, & vſui eſſe ad procreationem. Vnde Senatus Gratianopolitanus, mota de hæreditate controuerſia, prolem pronunciauit legitimam. Iuxta quam reſponſionem æquè aptabilem ad narrationem de tauro Ariſtotelico, ſaluum manet quod de vnica perfecti humoris prolifici officina in didymis conſtituta, tradunt Medici, vt Fernelius 7. Phyſiol. c. 2. & Andreas Laurentius l. 7. anatom. q. 7. Aliud verò exemplum quod refert Palacius in 4. diſt. 34. diſp. 1. *ſub finem*, ſi diſcrepet ab his quæ narraui, explodendum eſt. Ait enim Palacius, quendam Eunuchum teſtibus planè priuum, ſuſcepiſſe prolem. Hoc, agendo de Eunucho natiuo,

Digitized by Google

vel qui iam olim fuerit exectus, ita vt ſemen pridem confectum non fuerit aſſeruatum modo proximè propoſito, pugnat cum declaratione Sixti V. de Eunuchorum inhabilitate omnimoda ad gignendum cui addenda de eadem re Leonis Imper. Conſtitutio 98. Itaque repudiandum eſt: æque ac quod Ludou. Cælius l. 4. cap. 7. ex Alberto refert, de iampridem execto Sacerdote, facto patre. Ergò ratum manet quod præmittebam, teſtes eſſe officinam humoris prolifici. Idque ſonat antiqua appellatio teſtium, de qua ſic Arnobius l. 7. exponens voces ſacrorum myſteriorum. [ Polimina ſunt ea quæ nos proles verecundiùs dicimus, à vulgaribus autem, aſſolent cognomine *teſtium* nuncupari. ] Nemo non videt *teſtes* dici *proles*, quia ex eis manat ſemen prolificum, atque adeò liquet eos eſſe fontes humanæ naturæ, quos obſtruit, & arefacit exectio.

Illuſtratur hæc ratio, ex proximè adducta Sixti V. declaratione quod irritum planè ſit iure naturæ, coniugium Eunuchorum: quia cum eos deficiant didymi, deſtituuntur pariter officina humoris prolifici. Atque ita exſecare aliquem, eſt eum reddere coniugio contrahendo prorsùs inhabilem, vt Sixtus declarauit & latè aſſerit Andreas Laurentius Conſilio 11. ac Zacutus l. 3. de Medic. princ. hiſtor. quæſt. 32. Confirmat Marcellus Francolinus tract. de coniugio ſpadonum. Quamuis enim Eunuchi, humorem aliquem poſſint emittere, vt experimento compertum fuit iam olim, & admittunt Eſpencæus, l. 5. de contin. c. 2. Rebellus 2. p. l. 3. ſect. 3. & Scortia ad Conſtit. Pontif theorem. 369. & 370. tamen illud aqueum excrementum vtcunque ſimile humori ſeminali, non eſt reuera prolificum; abſque cuius tamen humoris emiſſione, non poteſt conſtare matrimonium. In quo, Eunuchi valdè differunt à ſterilibus, de quorum vero coniugio nemo dubitat, vt Sanches latè proſequitur l. 7. de Matrim. diſp. 92. num. 25. & 26. & meritò, quia non ſunt per ſe impotentes ad propagandam ſpeciem, ſed per accidens tantùm. Vnde ſterilium cōiugium, & eius vſus conceditur, non autem Eunuchorum, qui per ſe ſunt impotentes ad eam propagationem, cum deficiat eos officina humoris prolifici ob interpoſitam exſectionem. Atque ita ve-

riſſimè declaratum eſt, Eunuchos eſte, coniugij prorsùs incapaces.

Et quia per coniugium propaganda eſt natura humana, qui aliquem exſecat, quantum eſt ex ſe, finem imponit mundo, & viciſſitudinem generationum, qua tela humanæ vitæ contexitur, malignè ſuccidit. Hæcque eſt ratio contra exectionem exarata in lege Mæuia, iuxta Varronem, referentem in ea lege ſcriptum eſſe; *qui ſe eunuchat, extinguere maiorem parentem*, hoc eſt patriam; atque adeò genus noſtrum. Itaque qui per exectionem, coniugium obſtruit, eſt verè Miſanthropus, & humanæ ſpeciei in ſuo germine eradicator; cui tot maledicta iure ſint reponenda, quot benedictionibus & elegijs cumulatur à noſtris & externis, Matrimonium. Plato apud Theodoretum l. 12. contra Græcos, vocat nuptias, *ſtabilitatem generis humani, & præclarum tuendæ immortalitatis inuentum.* Idem Theodoretus l. 5. Epitomes diuinorum decretorum c. *de Matrimonio*, præclarè hoc ipſum confirmat, & ſerm. 8. de prouid. deſcribens orationem Ioſephi ad heram impudicam, ait ex eius perſona; [ Matrimonium generis noſtri fons, & viæ ad vitam hanc deducentis, ianua; cuius beneficium eſt quod humanum genus non deficit: quod idem naturam hanc morte aboleri non permittit, ſed plantatione ſua; ſecantis manum vincit, & germinatione, metentis falcem ſuperat: quod verni temporis naturam imitatur, quod poſt eam quæ hyeme facta eſt, prædationem apparens, quæ per hyemem ſpoliata & exuta ſunt, denuò veſtit. ] Inſigniter in eandem ſententiam Amphilochius initio Orationis de Hypapante; & vernantiſſimè ex Ethnicorum, ac ipſius etiam B. Pauli perſona, Baſilius Seleuc. l. 1. de vita S. Theclæ. Hos Patres deflorauit tract. de ſect. Cæſarea c. x. à. n. 25. conclamans in ſobolis corruptrices. Vix autem minùs videtur conclamandum in exſectionem, cum per eam non modò fructus coniugij aboleatur, ſed ipſa arbor fructum editura exſcindatur, aut extirpetur radicitùs. Peruaſerat hanc rationem Senatus Diuionenſis, cum maritum qui vt ſtomachum vxori faceret, ſe exſecuerat, furcæ addixit. Quamquam in eo facto, præter generalem iniuriam in coniugium,

iugium, peculiariter violatum fuerat ius vxoris. Nunc autem ex ſola iniuria in coniugium, impugnamus exectionem.

9. Par ratiocinatio confici poteſt, ex nefaria ſeminis humani emiſſione extra legitimum commercium nuptiale. Nam iure naturæ, eam emiſſionem eſſe deteſtandam, monſtratum eſt lib. 6. de virtut. à n. 150. Et ratio eſt, quia perditur homo in germine, fitque feſtinatio homicidij, (vt Tertullianus in materia affini loquitur;) hoc eſt in abortione, quæ ſi fœtus nondùm ſit animatus, eodem deteſtando ſcelere inquinatur, quo pollutio. Impeditur enim exortus hominis qui conſequeretur: atque adeò omnes hæ ſpurcitiæ, idcircò fœdiſſimæ ſunt & auerſandæ, quia exſcindunt, atque præcludunt humanam generationem; id quod æquè præſtat exectio. Imò cum illæ fœditates non niſi vnius fœtus procreationem excludant; exectio tot generationes excludit, quot poſſent à perſona vna prodire, atque adeò planè multas, cum ſint qui ad magnum numerum ſobolem multiplicant, etiam ex thoro legitimo. Et hæc videtur eſſe cauſa, cur caſtrator puniendus ſit grauiùs, quàm homicida, vt obſeruat Gul. Benedictus in c. *Raynucius* de Teſtam. V. *qui cum alia* num. 17. dicens, difficiliùs exorari à Principe veniam pro caſtratione, quàm pro homicidio, vt reipſa notatum eſſe ait in præfectura Cadurcenſi anno 1482. Nimirùm quia homicida, vnicum interimit: Caſtrator totidem præfocat & anticipatè necat, quot naſci ab execto potuiſſent. Video diſcrimen aliquod eſſe inter exſectionem, & pollutionem, vel abortionem fœtus nondùm animati: quod illis alijs inquinationibus, tollatur proxima materia fœtus iam excreta & deciſa cum voluptate, cuius captatio extra vſum legitimum ſexus ad prolis ſuſceptionem, eſt flagitioſa & deteſtanda. At per exectionem tollitur tantùm principium effectiuum, ſiuè officina illius proximæ materiæ; nec ſublatio fit cum voluptate illa damnata, ſed potiùs magno cum dolore & cruciatu. Hoc tamen diſcrimen, non euertit argumentum. Nam ſicut cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; ita ſublatio cauſæ eſt ſublatio cauſati. Quia igitur pars, de qua exſecanda agitur, eſt cauſa humoris prolifici, perindè eſſe videtur, partem illam adimere,

atque humorem in ea conficiendum diſſipare. Sicut qui effodit oculum, etiamſi mediatè tantùm tollat viſionem in eo efformandam, tamen reus eſt ſublatæ viſionis. Nec refert, quod in re præſenti deſit captio voluptatis ordinatæ ad prolis ſuſceptionem, & non niſi in eo opere legitimè obito, captabilis. Ea enim voluptatis extra tale opus captatio, idcircò nefaria eſt, quia quæritur aut percipitur cum diſpendio generationis humanæ ad quam ſuapte natura ordinatur. Itaque eadem labe ſordet qua exſectio, quæ item excludit humanam generationem. Et quicquid ſit de efficacitate horum argumentorum, quæ ducta ſunt ex affinitate exectionis cum pollutione & aborſu fœtus nondùm animati: tamen negari non poteſt, quin ſaltem mediatè impediatur per exectionem multiplicatio ſpeciei: quod ſufficit, vt agnoſcamus per exectionem violari humanam naturam, quod probandum receperam.

10. Ex perſona denique cuiuſque propria, argumentum in hanc rem duci poteſt; inprimis, quia vita execti in diſcrimen plerunque adducitur. Ita ſupponitur can. 22. Apoſtol. vbi dicitur, qui ſeipſum exſecuit, non debere clericum effici, *quia ſuæ cædis autor eſt.* Et can. 23. decernitur, iam clericum qui ſeipſum mutilarit, eſſe deponendum. *Eſt enim ſui necator.* Et can. 24. de laico qui ſe mutilarit, dicitur, quod *inſidiator eſt vitæ ſuæ.* Similiter S. Chryſoſtomus hom. 63. in Matth. ait, eum qui ſe abſcindit, quæ homicidarum ſunt præſumere. Sanè Iuſtinianus in Authent. *de ijs qui Eunuchos faciunt*, collat.x. notat, è nonaginta exſectis, vix tres fuiſſe ſeruatos. Sed & Caſtro V. *Eunuchus*, ait ſe vidiſſe qui abſciſſione iſta perijt. Eludunt aliqui hoc argumentum, dicendo, olim præ ruditate & inexperientia Chirurgorum, ferè omnes obijſſe per exſectionem. Nunc autem ſectores reperiri ſcientiſſimos, à quibus vix aliquid ſit periculi. Sicut olim ſectio Cæſarea prægnantis, habebatur impoſſibilis matre incolumi. Nunc autem ferè caret periculo ob peritiam Chirurgorum, vt alibi dixi. Hæc tamen argumenti potiùs eluſio eſt, quàm diſſolutio. Nam declinatio periculi, non eſt tam certa in hoc negotio, quin ſemper ſit periculum, nec leue. Eſt autem ſui indiuidui hoſtis, qui vitam

Digitized by Google

ſuam ſi non apertè dilapidat, diſcrimini tamen exitij, vltrò committit; quod facit qui vult ſecari. Sanè mutilationẽ hanc perparùm abeſſe à cæde, argumento eſt, quod in iure, mors & abſciſſio æquiparantur quoad peccatum graue, irregularitatem, & diſpenſationem, vt notat Balthaſar Gomeſius Ameſcua l. 1. de poteſtate in ſeipſum c. 9. n. 12. poſt Gloſſam in Clement. vnicam *de homic.* & Sylueſtrum V. *homicidium* 3. q. 3. Argutius verò eſt, quàm ſolidius, quod adducit ex Baldo l. *reos* C. *de accuſation.* nempè idcircò exſectionem inſimulari cædis propriæ, quia tollit vitam membri: Ea quippè vita, non eſt vita hominis totius, quamuis ſit vita alicuius pertinentis ad hominem. At cædes, eſt iniuria totius hominis.

11. Poteſt verò præterea hæc miſanthropia & auerſio à proprio indiuiduo. declarari cum eodem Baldo ibidem num. 5. & Gregorio Lopes gloſſa 2. l. 12. tit. 8. part 7. per hoc quod exſectio, naturam indiuiduam ſpoliat perfectione maxima, quam conferret pars abſciſſa. Nam inprimis, abſciſſione eius, tollitur facultas generatiua, quæ eſt de huius naturæ perfectione & complemento; ita vt in Chriſti quoque humanitate, fuerit hæc facultas; quia Chriſtus fuit homo perfectus; reijcitúrque à Theologis S. Damaſcenus orat. *Quomodò ad imaginem Dei facti ſimus*, qui viſus eſt hanc facultatem à Chriſti humanitate remouere. Huius facultatis pretioſitatem, nulla aſſequatur oratiō. Nam eius munus eſt, interuentu humoris prolifici in teſtibus elaborati, organizare corpus; & vittam auream, (vt ſapiens vocauit,) hoc eſt vnionem cum corpore, efficere: quod adeò ſublimè munus eſt, vt Arabes ad id præſtandum, Colchodeam alibi exploſam ſint commenti. Nec multùm fortè abeſt ab eis Tertullianus l. de anima c. 37. dicens, poteſtatem diuinæ voluntatis miniſtram, fingendi in vtero hominis paraturam modulari. Ipſimet Deo, hoc munus tribuit Scotus in 2. d. 15. & multi apud Leonicenum Opuſc. de virtute formatiua, fauentibus Lactantio l. de Opif. Dei c. 19. & S. Auguſtino l. 6. de Geneſi ad liter. c. 13. & l. 1. de Nupt. c. 13. quos permouiſſe videtur modus loquendi ſcripturæ, Deum plaſmatorem noſtrum & figulatorem appellantis, Iobi 31. & Pſal. 138. quod



Digitized by Google

tamen reuera non pertinet niſi ad ſummam huius muneris præcellentiam declarandam; quia vt rectè notauit Genebrardus in Pſal.28. *ad v.9.* Scriptura omnes effectus abditos & inſignes, adſcribit Deo vt primæ cauſæ; vnde eum vocat *patrem niuis & glaciei*; quamuis certum ſit, hos effectus habere cauſam immediatam Deo inferiorem. Similiter ergò munus organizandi hominem, & vniendi animam corpori, iuxta ſcripturæ idioma, dicitur *diuinum*; quia eſt præcellens & occultum; tamen habet cauſam immediatam homini implantatam; nempè hanc ipſam, de qua ago, vim generatiuam, operantem interuentu ſeminis prolifici in teſtibus elaborati, quod vi formatiua pollet, vt rectè ſtatuit Molina 1. p. q. 2. artic. 3. & Emmanuel Goës, autor Phyſicæ ac Ethicæ, Curſus Conimbricenſis l. 1. de gener. c. 4. q. 26. artic. 1. qui rectè agnoſcunt, multò magis micare Dei potentiam in prædictis muneribus per agens creatum obitis, quàm ſi ea ſeipſo exequeretur.

12. Et vrget quidem hanc aſſertionem grauis difficultas, quæ non modicè angit Suarem diſp. 18. Metaph. ſect. 5. n. 5. quomodò res inanimata (cuiuſmodi eſt ſemen,) poſſit actum vitalem edere, organizando corpus, illúdque animæ coniungendo. Sed non eſt quod híc excurram in difficultatē ſuo loco accuratè agitatam: Itaque ſuppoſita ſententia longè communiſſima, quod vis generatiua per ſemen in teſtibus elaboratum præſtet ea munera; liquidum eſt quanta ſit pretioſitas virtutis teſtibus inſidentis; & in eis vt in officina ad id inſtituta à natura, elaborantis humorem prolificum, adeò nobilium functionum proximum effectorem. Vt proinde multùm decedat homini quem talis perfectio deficit, à qua expedita & idonea in opus erumpere, *perfectus* appellatur. Ideò enim dicta eſt *Iuno perfecta* quæ nuptijs præeſſe credebatur; & *nuptiæ dicebantur perfectio*, iuxta veteres, vt alibi eſt annotatum.

13. Æſtimari verò inſuper poteſt, perfectio quam confert hæc facultas, eiúſque ſubiectum; penes integritatem. Nam bonitas entis abſoluta (quæ idem eſt quod eius perfectio,) continetur integritate, qua ineſt rei quicquid ad eam pertinet abſque imminutione vlla: idque S. Thomas 2. 2. q. 65. artic. 1.

Digitized by Google

ait eſſe ſecundùm naturam à Deo inſtitutam. Deus enim nihil mancum fecit, nihil non plenum & integrum, quantum eſt ex ſeipſo, ſed omnia edidit in genere ſuo perfecta. Tollit ergò eam perfectionem in perſona indiuidua, qui illam detruncat & plena integritate deijcit, abſcindens partem corporis, cui tam nobilis facultas eſt implantata. Sanè perfectio magna in corpore fœmineo, cenſetur Virginitas; ita vt de communiſſima ſententia, fas ſit puellæ, cui ſpurcus quiſpiam tentet virginitatem eripere, confodere illum, ſi aliter non poſſit ſe indemnem præſtare. Nec tantùm id poſſet, ſi eſſet periculum conſenſus in turpe opus, vel ei adiunctam fœdam delectationem; ſed etiam poſito quod certa eſſet ſe non cōſenſuram, vel in opus, vel in conſertam tali operi voluptatem; tamen amore ſuæ pudicitiæ, & ad retinendum florem ſuæ virginitatis illibatum, poſſit in nefarij contaminatoris vitam irruere. Atqui pudicitia illibata, in fœmina, & flos virginitatis; quoad materiale, continentur integritate ſola corporis, non vt fit in Eunuchiſmo factitio, per reſectionem totius alicuius partis, quod fabulati ſunt qui hymenem inuexerunt, ſed per meram diductionem partium non niſi contiguarum, quarum diuulſione interpoſita, perit integritas, & flos illibatus illius corporis. Si ergò hæc integritas tanti ſit in corpore fœmineo, vt ſecundùm prudentem æſtimationem, vita potiùs abijci honeſtè poſſit, & licitè quoque poſſit iugulari alitèr indeclinabilis inuaſor; mirum eſſet, integritatem corporis multò maiorem, vnius partis non modicæ abſciſſione pereuntem, parui fieri, quaſi nihil de huius naturæ indiuiduæ perfectione detrahatur.

14. Adhuc liquidiùs perſpicietur, quanti ſit, integritatem de qua agimus retinere, ſi recolantur bona & commoda quæ adiuncta habet; & è contrario diſpendia & damna quæ eius abiectione contrahuntur. Dictum eſt hac de re fusè ſuperiùs, tractando bona & mala Eunuchiſmi, quæ iuuerit recolere; nunc paucis dico, Galeni verbis l. 1. de ſemine c.7. [Conſpicua eſt commutatio, quam ſubtractis teſtibus contingere animali, deprehendimus. Id enim reddi frigidius, certum eſt. Flacceſcit quoque robur, non ſecùs ac ſeneſcentibus; venæ coarctantur,

ſanguinis flos hebeſcit, minuuntur & arteriæ, pulſus relangueſcit ] Non diſſimiliter Aretæus l. 1. c. 5. [ Genitura vitalitatem impartiens, nos viros efficit, calidos, articulatos, hirſutos, vocales, animoſos; ad intelligendum, operamdumque valentes. Id viri teſtantur. Contra verò quibus non ineſt vitalis genitura, rugoſi ſunt, debiles, acutæ vocis, glabri, imberbes, effœminati. Eunuchi id manifeſtant.] Diligenter iſta verſat Andreas Laurentius l. 7. Anato. c. 7. q. 1. Concludit verò ex his Galenus, didymos eſſe membris omnibus nobiliores; quippè addictos conſeruationi ſpeciei, & calorem ac robur ſuppeditantes animali. Conſiderat item, cor quidem eſſe viuendi principium; didymos tamen ( quod plus eſt, ) principium eſſe benè viuendi, ob vbertatem vigoris quem in membra vniuerſa corriuant.

15 Ipſorum verò, & partium, quibus annectuntur ſtructura, eſt omninò mirabilis, cui proinde inferre vaſtitatem, & quæ Deus perfecit, deſtruere, non poſſit approbatione dignum videri. Conſultò abſtineo longa in hoc argumentum excurſione. Tantùm cum Lactantio l. de opif. Dei c. 13. expoſtulandum eſt, aliquos eſſe qui ita bruteſcant, vt tam mirabili opere Dei ad fœditates abutantur, aut infames quæſtus nundinentur, qua de re alibi. Nunc enim inſiſtendo præſenti cauſæ, ſufficit dicere; non ſatis ſapere, qui tantæ nobilitatis & virilitatis membra, perinde ac vnguium præſegmina abijciat ac reciſa velit: quibus nullæ opes, nullæ dignitates meritò conferantur; quaſi non præſtet his omnibus priuum manere, quàm ijs membris *per deteſtationem* vltrò admiſſam, vel ſibi illatam, carere. Iudicium eſt Claudiani l. 1. in Eutrop. Eunuchum, poſt deſcriptam eius immenſam potentiam.

*Te grandibus India gemmis*
*Te ſpolijs Arabes ditent; te vellere Seres:*
*Nullus inops adeò, nullum ſic vrget egeſtas,*
*Vt velit Eutropij fortunam & membra paciſci.*

Nimirùm ſi ſapiat, & rectè æſtimet. Nam inſanos aliquos vltrò ſibi accerſiuiſſe hanc cladem, eámque ambiuiſſe, ſpe longè deſpicatioris ſortis, quàm eius ad quam ſubuectus

Digitized by Google

erat Eutropius, infra referemus. Itaque non piguit cæcatos opum vel honorum cupiditate, in perſonam propriam ſæuos eſſe, & per immanem truculentiam opus Dei in ſe euertere.

§. 3. *Ius naturæ contra exſectionem, inſculptum ſenſui omnium gentium, vbi ſtetit vigens ratio, & homines non obrutuerunt.*

1. Ius naturæ, à quo ordior, eſt omnium fundamentarium, quippè ipſi naturæ inuſtum à Deo autore. Eſt verò adeò altè impreſſum, vt vix poſſit exſculpi, tametſi aliquandò præ quantitate cœni, in quod homo ſe immergit, & nebuloſitatum ac vliginum ſubuectarum ex humecta materiæ corporeæ colluuie per ignem cuique adnatum, offundatur caligo menti, ita vt ſpiculus naturæ radius non modò in cæcutiente homine non micet, ſed etiam extinctus planè videatur: quod docent qui lapidi & ligno accidunt, dicentes, *Deus meus es tu*; cum tamen lumen naturæ, ſignatum ſuper nos, doceat, vnum eſſe Deum viuum & verum. Idem docent qui velut muta animalia feruntur in affectus naturæ lumine perſpicuè indignos & res adamant à quibus alieniſſimi ſunt alij, in quibus lumen internum non eſt obtenebratum. Et huiuſmodi præter cætera eſt exſectio, à qua omnes gentes benè moratæ, apud quas humanitas ſtetit, nec tranſierunt in bruta, ſemper abhorruerunt. Paucæ quædam gentes flagitijs omnibus inquinatiſſimæ, eam ſunt amplexatæ, inter alia pleraque dedecorantia naturam rationalem, quam abdicaſſe ſunt viſæ.

2. Ius ergò naturæ fert, opificium Dei ſeruandum eſſe integrum; nec eſſe euertendum, quod eſt à Deo ſapientiſſimè ac prouidentiſſimè conſtitutum; itémque conſulendum eſſe conſeruationi generis noſtri: cum qua integritate & conſeruatione, pugnat exſectio. Hoc ergò ius euicit in omnibus ferè populis, vt exſectionem auerſarentur, vel etiam planè ignotam haberent. Ex hoc ſenſu, Rex Aſſyrius apud Lucianum l. de Syria Dea, deprehenſa Combabi exectione, ſic in eum exclamauit. [ O Combabe, cur magnum hoc malum perpetraſti? Cur autem teipſum indigno adeò facinore, ſolus viro-

rum, deformaſti? Non ita prorſum hæc laudo: hæc ô infœlix qui talia quidem ſuſtinuiſti, qualia vtinam neque te pati, neque me aſpicere vnquam contigiſſet.] Dandamis item Brachmanes, apud creditum Ambroſium l. de moribus Brachmanorum, agens cum Alexandro. [ Audimus (inquit,) quod à maſculis veſtris partem quandam corporis amputatis, in muliebrémque ſexum conuertere geſtiatis; & quod ſit apud vos talis homo, qui neque generare vt vir, neque parere poſſit vt mulier; & qui in ſuum tantum dedecus & in ſuam viuat iniuriam. Quis talem humani generis præuaricationem, & tam miſerabilem caſum, etiam cogitando, non doleat?] Diocles apud Lucianum *in Eunucho*, contendens Bagoam Eunuchum repellendum eſſe à profeſſione philoſophiæ, & pingui ſtipendio decies mille nummorum ei profeſſioni adiuncto; [ illud aiebat, nefas eſſe, vel conari; aut proponere Bagoam, vt cum philoſophiæ ſtudio, cúmque pulcherrimis illius præmijs commercium haberet, qui quidem Eunuchus eſſet. Imò hoc hominum genus non ſolùm ab eiuſmodi contubernio ſecludi oportere, verùm ab ipſis etiam ſacris & vaſis puris; breuiter ab omnibus publicis cœtibus eijci, oſtendens inauſpicatum quoddam & occurſu infauſtum fore, ſi quis manè domo egreſſus, vel videat iſtiuſmodi quippiam. Atque hac de re multis verbis diſſerebat; affirmans, Eunuchum neque virum eſſe neque mulierem, ſed quiddam vtrinque compoſitum & conflatum, planéque monſtrum, ab hominum natura, ſpeciéque alienum.] Rursùs idem Lucianus dialogo *Amores*, fœdam exciſionis originem, ad deteſtandam pæderaſtiæ fœditatem reuocans; [ Dixeris verò (inquit,) eoúſque Tyrannicæ violentiæ audaciam progreſſam eſſe, vt iam & ferro ſacrilego naturam quodammodò deprædentur, ac marium virilitate exhauſta & exinanita, inuenerunt voluptatis ſuperuacaneos & appoſititios modos. Miſeri autem illi & infœlices, vt eo magis pueri ſint, iam ne viri quidem ampliùs manent, ambiguum naturæ duplicis obſcuramentum, cum neque ad quod nati ſunt conſeruentur, neque id ad quod tranſiere, habeant. Flos autem ille qui in iuuentute adeſt ac manet, in ſenium

præma-

præmaturum marceſcere ipſos facit. Simul enim inter pueros numerantur, & iam conſenuere, nullum virilitatis interuallum habentes.] Quæ Mamercus apud Valerium l. 6. c. 7. repellens Genutium, in Eunuchos intorquet, legere eſt apud ipſum Valerium. Ammianus autem l. 14. deſcribens ſtipatas Eunuchis matronas Romanas, ſic habet. [Poſtrema multitudo, ſpadonum, à ſenibus in pueros deſinens, coloris obluridi, diſtortáque lineamentorum compage deformis, vt quaquà inceſſerit quiſquam, cernens mutilorum hominum agmina, deteſtetur memoriam Semiramidis, Reginæ illius veteris quæ teneros mares caſtrauit omnium prima, velut vim iniectans naturæ; eandémque ab inſtituto curſu retorquens, quæ inter ipſa oriundi crepundia, per primigenios ſeminis fontes, tacita quodammodò lege, vias propagandæ poſteritatis oſtendit.] Phædra Terentiana, Dorum Eunuchum cum indignatione & auerſatione, *monſtrum* hominis appellat, in Eunucho Act. 4. ſect. 4. Hermotinus apud Herodotum l. 8. Panionium exectorem, vocat omnium poſt homines natos ſceleratiſſimum, qui ex nefandiſſima negotiatione quæſtum faceret. Exſecabat enim vt diuenderet, pretioſiores futuros ob diuturniorem vſum nefarium. En ſenſum Aſſyriorum, Brachmanorum, Græcorum, Romanorum, de indignitate exſectionis, eiúſque pugna cum natura humana.

3. Apud ſolos Perſas viguiſſe paſſim vſum exectionis, admitto, & latè id monſtrat qui de eorum rebus ſcripſit Briſſonius l. 2. *pag. mihi* 217. primúmque in Spada, Perſarum vrbe excogitatam hanc humani corporis lanienam, prodidit Stephanus l. de vrbibus.

Hæreo, an quando in has Perſicas ſordes ſtylum demiſi, premendus ſit fœdus nefarij inuenti ſcopus, cui attingendo excogitata eſt hæc humani corporis diuexatio. Video me in loco putentiſſimo verſari: Sed non eſt quod de alieno flagitio erubeſcens, exhorream eius retectionem, intentus in obſtruendum crudelitatis curſum. Poterunt enim qui ex alio nunc fine patrocinantur exectioni, fœda eius initia contemplati, à tali patrocinio faciliùs auocari. Ipſe D. Hieronimus exemplo præi-

uit. Nam l. 1. in Iouin. c. 21. periclitantem ſe videns de verecundia ſi Iouiniani ſpurcis quæſitis reſponderet, quaſi inter neceſſitatis ac pudicitiæ ſymplegadas conſtitutus, hinc atque inde pudoris vel cauſæ naufragium, extimeſcens; concludit tamen, melius eſſe clauſis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, & in odioſum argumentum ruere, quàm cauſæ deeſſe; compulſus (vt ait) loqui & inſipiens fieri: Idem vobis hîc vſuuenit, originem primam exectionis proponere & inde eius turpitudinem eruere aggredientibus. Perſis ergo apud quos exectio vel primùm excogitata eſt, vel primùm inualuit plurimùm, quantum ex probatis autoribus intelligitur, diri inuenti nefandum conſilium, ex eo ſuſceptum conſtat, quod cum haberent greges formoſorum, quorum tanquam pecorum emulgerent pulchritudinem (vt loquitur Clemens l. 3. Pædagogi c. 4.) longiorem patientiam impudicitiæ in miſellis captarent, per nonnullam puerilis formæ prærogationem, vt M. Seneca l. x. controu. 4. loquitur & expreſſit Petronius illis in Satyrico carminibus c. 76.

*Heu pudet effari, perituráque prodere fata;*
*Perſarum ritu malè pubeſcentibus annis,*
*Subripuere viros, exectáque viſcera ferro*
*In venerem fregere; atque vt fuga mobilis æui*
*Circumſcripta morâ properantes differat annos,*
*Quærit ſe natura, nec inuenit.*

Item Claudianus l. 1. in Eutropium Eunuchum.

*Perſica ferro*
*Luxuries vetuit naſci lanuginis vmbram;*
*Seruatóque diu puerili flore coëgit*
*Arte retardatam veneri ſeruire iuuentam.*

4. Proh ſpurcos natales Eunuchiſmi, & quidem apud nationem omnibus ſpurcitijs inquinatam, cui patres cum filiabus, filios cum matribus, fratres cum ſororibus, per caprinam libidinem, (vt loquitur Clem. 3. Pæd. c.8.) miſceri innoxium fuit, deteſtante meritò & tragicè conclamante Agathia l. 2. Nec contenta gens propudioſa pellicum gregibus quos prodit Suidas V. Ἀρβακτίκυς & V. Μυσοργοί, etiam pæderaſtiam adiunxit.

Digitized by Google

Quod enim Ammianus l. 24. hoc ſcelus à Perſis amolitur, audiendus nullo modo eſt, in tanta apud alios tenebricoſiſſimi operis luce. Hoc enim Herodotus lib. 1. & 6. & 8. ac ſæpè aliàs; hoc Plutarchus l. de malignitate Herodoti, & adducti proximè Claudianus atque Petronius, alijque innumeri prodiderunt. Nec principio gentem truculentam æquè ac turpem, ob alium finem exſecuiſſe mares, quàm ad infandi operis vſum, (quamuis poſtea ad Gynæceorum curam, & alia pleraque miniſteria viſi ſunt cõmodaturi,) argumento eſt, quod non quoſcunque, ſed eos tantùm qui forma præcellerent, exſecabant, vt habetur ex Herodoto l. 6. & Dione Pruſæo orat. 21. & conſonat illis Iuuenalis Satyra x. de Perſarum imitatoribus in ea porcinitate, dicens,

*Nullus Ephebum*
*Deformem ſæua caſtrauit in arce Tyrannus:*
*Nec prætextatum rapuit Nero Loripedem, vel*
*Strumoſum atque vtero pariter gibóque tumentem.*

Ventrioſos enim eſſe deformes, & ipſe contuitus monſtrat; & ſenſus fuit antiquorum; qui Socratis deformitatem corpoream inde monſtrabant, quod ſimus eſſet ac ventrioſus, vt eſt apud Maximum Tyrium.

5. Eundem deteſtandum finem exectionis, præferunt illa Senecæ in ipſa clauſula libri primi de ira, vbi monſtrans nihil eſſe in ira magnum, excurrit in alia vitia, in quibus negat aliquid eſſe magnum, quantumuis aliquid videantur habere magnum; & nominatim de libidine id ita aſſerit. [ Videatur & libido, magni animi. Tranſnatat freta, puerorum greges caſtrat, ſub gladium mariti venit vxor morte contempta. Omnia iſta, non refert, inquantum procedant extendántque ſe; anguſta ſunt, miſera, depreſſa. ] Itaque apertè agnoſcit Seneca, caſtrationem in pabulum turpitudinis à libidinoſis potentibus curatam. Et idem diſertè habet Libanius in Apologia patris pro filio, captato à Tyranno quod enim ante abductionem filium ſua manu occidiſſet, reus factus, excuſauit neceſſitatem cædis ex infamia filio obuentura per exectionem & virilitatis exemptionem, vt eſſet Tyranno quod ſexus non ferebat,

& ſpurcis hymenæis addiceretur. Huc collimarunt Nero in Sporo, Druſus in Lygdo, Rex Perſa in Bagoa, & quotquot fœminam in viro reperire ſtuduerunt. S. Cyrillus adductus à Suida V. *Spado* hos planè exſectioni natales aſſignat; vnde in eam conclamat contentiſſimè. Ioannes à Vvouerem in Petronij Satyricon c. 79. idem tribuit S. Cypriano Epiſtola ad Donatum, quia ait; [ Morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionijs geſtibus inquinari, videre contra ius & fœdus naſcendi, patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam? Euirantur mares, omnis honor & vigor ſexus, eneruati corporis dedecore emollitur; plúſque illic placet, quiſquis virum in fœminam magis fregerit. In laudem creſcit ex crimine, & eo peritior quo turpior iudicatur. ] Quibus verbis ſpurcos exſectionis natales quos aſtruimus, inſinuari à S. Cypriano exiſtimat autor prædictus, nec non Douſa eundem Petronij locum excutiens.

Explicatiſſimè idipſum tradit Fabius l. 5. Inſtit. c. 12. conferens comptos Oratores, & ſpecioſorum verborum aucupes, negligentes virilitatem orationis, cum mangonibus puerorum, qui ferro lenocinabantur elegantiæ. Peruerſè profecto. Nam Fabius, [ mihi naturam intuenti, nemo non vir, ſpadone formoſior erit: nec tamen auerſa vnquam videbitur ab opere ſuo prouidentia, vt debilitas, inter optima inuenta ſit. Nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod ſi naſceretur, monſtrum erat. Libidinem iuuet, ipſum effœminati ſexus mendacium; nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, vt ſi qua pretioſa fecit, fecerit & bona. ] Hoc mendacio ait iuuari libidinem: Imaginatio quippè infamis pædiconis, erga exectum, fortior erat, quæ erga non minutum apprehenſione virilitatis percelleretur. Præterquàm quod mollitudo maior, & ſuccus plenior carnium in execto, turpitudini velificabatur. Teneriores ſiquidem & ſuccidiores fieri carnes per exectionem, ( vt docet Galenus l. 3. de alimentis, ) monſtrant capi, & verueces, ac porcæ, quibus exemplis vtitur idem Galen. l. 1. de ſemine 15. Et nouitio inuento gallinas in eum finem caſtrari, inductum eſt, vt ſcribit Ioannes Bruyerius l. 12. de re cibaria c. 4.

Digitized by Google

Indéque factum, vt turpiſſimus Lydorum Rex Andramites, quod ex Athenæo atque Galeno habent Brodæus l. 5. Miſcell. c. 3. & Alexander Neapol. l. 2. c. 25. (alij vt Heſychius de vir. illuſt. in *Xantho Lydo*, id Gygi, æquè Lydorum Regi tribuunt,) induxerit in vſum, Eunuchas facere mulieres, id eſt, exſecare. Fallitur enim Franc. Lucas Matth. 19. qui *Eunuchas mulieres*, cenſet fuiſſe quas Græci vocant ἀτρήτους, id eſt *impertuſas*. At hoc eſt longè aliud connubij impedimentum, præ nimia obſeratione, ob quam mulier eſt viro planè inperuia, ita vt nequeat excipere vnde mater fiat. Latè de hoc coniugij obice Couarr. Tract. de frigid. & malefic. q. 1. Nec aptè quoque Alexand. Nepol. proximè adductus, ab exemplo Regis Lydi, manaſſe putat circumciſionẽ mulierum apud Ægyptios, teſte Strabone l. 17. Sed longè diſcrepauit Eunuchizatio mulierum ab circumciſione illa, quam item adhibebant Creophagi in Arabia, vt Strabo notat l. 16. Fiebat autem pelliculæ cuiuſdam externæ reciſione. Eunuchizatio autem fiebat, teſtium intùs abditorum ad qualecunque ſemen conficiendum idoneorum, exectione: idque in mulieribus longè maiore, quam in maribus vitæ periculo fieri, monſtrat Nancelius l. 7. Analog. Microc. c. x. Problem. 6. Sed tanti fuit, fœditatem paſcere, & vndecunque captare flagitij illecebram.

Erubeſco iſta verſans, & quantumuis parcè attingens. Sed ita neceſſe fuit, inquirenti in primos natales exſectionis; è quibus liquere puto, quàm & ipſa ſit fœda, ac deteſtanda. Et ex hac turpiſſima exectionis origine repetendum eſt dedecus ac ignominia eorum qui exectionem ſubibant. Nam ſæuam infamiam euiratorum apud ipſos Ethicos, monſtrant illa patris excuſantis cædem filij à tyranno ob formoſitatem captati, & per eum exſecandi ſi abductus fuiſſet. Opponentibus enim futurum fuiſſe, vt denique remitteretur domùm ſuam, reponit nulli ſibi fore conſolationi habere filium notis infamiæ corporum, ab omnibus ſacris arcendum, nullius feſti participem futurum, ad nullos cœtus, & conciones, ac certamina admittendum, repellendum ab omnibus victimis, [ Nam nónne etiam, appellatione obliterata, à contumelia nuncuparetur? Egregia

verò vita; at famulos quidam ſuos, aduerſos intueri poſſe? Quid igitur? Oportuit ne viuentem expetere mortem, cum integrum eſſet, morte talem deuitare vitam? At viuit nunc, etiam poſt obitum, quippè cantu celebratur: Tunc autem viuens, mortuus fuiſſet, mutus ab ea redditus quæ perpeſſus fuiſſet: ] Ex antecedentibus tamen apertè liquet, hanc infamiam non exectioni ſoli fuiſſe adiunctam, ſed ſubſequenti eam turpis vſui, in quem fiebat exectio: Et verò S. Iuſtinus Apolog. ad Antoninum exectiones ad profeſſionem impudicitiæ factas aſſerit, & confirmat ex Sacerdotibus Matris Deorum. Vt non eſſet alia cauſa auerſandi exectiones, quàm quæ ducitur ex adeò propudioſis eius initijs, non poſſet videri leuiter concepta eius deteſtatio.

## §. 4. *Iura ciuilia contra exſectionem.*

1. Tam iuſta eſt deteſtationis deteſtatio, vt iura omnia poſitiua, & profana & ſacra, aduersùs exectionem conclamarint, tanquam probroſiſſimam, & Reipublicæ apprimè noxiam. Attingam quæ varia humana iura ex vtroque foro in hanc rem edixerunt; non accuratè colligens omnia, quod immenſæ foret operæ, ſed libans ſelectiora, initio facto à iure ciuili.

Affulgente ſpiculo naturæ lumine, legiſlatores Ethnici ſeueriſſimis edictis coërcuerunt abſciſſionem, ac etiam quamcunque euirationem. vt conſtat ex l. *hi quoque ad* ff. *l. Cornel. de ſicarijs:* quo titulo l. 4. proponitur inſigne edictum Adriani ad alias leges anteriores alludens, his verbis. [ D. Adrianus reſcripſit. Conſtitutum quidem eſt, ne ſpadones fierent: eos autem qui hoc crimine arguerentur, Corneliæ legis pœna teneri, eorúmque bona, meritò fiſco meo vindicari debere: ſed & in ſeruos, qui ſpadones fecerint, vltimo ſupplicio animaduertendum eſſe. Planè ſi ipſi qui hanc iniuriam paſſi ſunt, proclamauerint, audire eos præſes prouinciæ debet, qui virilitatem amiſerunt. Nemo enim liberum, ſeruúmue, inuitum, ſinentémue, caſtrare debet, nec qui ſe ſponte caſtrandum præbere debet. At ſi quis aduersùs edictum meum fecerit Medico quidem qui exciderit, capitale erit: item ipſi qui ſe ſpontè

Digitized by Google

excidendum præbuit. ] Ita Adriani reſcriptum compendio retulit Vlpianus lib. 7. de Officio Proconſulis & additur mox tit. cit. ex Paulo I. C. lib. 2. de Officio Proconſulis, eos quoque qui Thlibias faciunt, ex Conſtitutione Adriani ad Ninium Haſtan, in eadem cauſa eſſe, qua hi qui caſtrãt. Item ex Venuleio Saturnino lib. 1. de Offic. Proconſ. mox additur, eum qui ſeruum caſtrandum tradiderit, multari parte dimidia bonorum, ex Senatuſconſulto quod Neratio Priſco & Annio vero Conſulibus factum erat.

2. Sicut autem ex Paulo I. C. habemus vnam Adriani Conſtitutionem contra eos qui exſectionem libentes admitterent, aut facerent: ita ex Vlpiano habetur, ante Adrianum conſtitutum eſſe, ne quid tale fieret. Veriſimile enim eſt Adrianum, cum dixit, *Conſtitutum eſt*, non reſpexiſſe ad ſuam Conſtitutionem memoratam à Paulo, quæ fortaſſis fuit poſterior ea, quam Vlpianus retulit. Quid ſi etiam fuit eadem, cum Vlpianus non notet ad quem fuerit directa ea Adriani conſtitutio quam memorat? Hoc autem ſuppoſito, quod ante Adrianum fuerit conſtitutum ne fierent Eunuchi, inquirit Briſſonius l. 2. ſelectar. Iuris antiquit. c. 21. cuius fuerit ea conſtitutio anterior; & reſpondet, fuiſſe Domitiani, qui teſte Suetonio *in Domitiano* c. 7. [ Caſtrari mares vetuit. Spadonum, qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt. ] Euſebius in Chronico, hoc Domitiani edictum conſignat anno Chriſti 85. Eò ſpectaſſe hac Conſtitutione Domitianum, vt Sanctior Tito fratre videretur, qui in delicijs exectos habuerat, notauit Dio *in Domitiano*. Et hæc eſt lex illa Domitiani, quam ſpurcus palpo Martialis, qui ſub Domitiano florebat, extulit omninò multis locis quæ ſignat Læſius Biſciola t. 1. hor. ſubſec. l. 1. c. 22. Diſertè l. 9. Epigr. 9. ad ipſum Domitianum, præfatus de eius concitatione in Maſtupratores,

*Non tulit Auſonius talia monſtra pater:*
*Idem qui teneris nuper ſuccurrit ephebis,*
*Ne faceret ſteriles ſæua libido viros.*

Et paulò anteriùs Epigr. 7.

*Tibi ſumme Rheni Domitor, & parens orbis,*

Digitized by Google

*Pudice princeps, gratias agunt vrbes:*
*Populos habebunt; parere iam ſcelus non eſt.*
*Non puer auari ſectus arte mangonis,*
*Virilitatis damna mæret erepta.*

Sed diſertiſſimè l. 7. Epigr.

*Luſus erat ſacra connubia fallere tædas*
*Luſus & immeritos exſecuiſſe mares.*
*Vtraque tu prohibes Cæſar; populíſque futuris*
*Succurris, naſci quos ſine fraude iubes.*
*Nec ſpado iam, nec mœchus erit te præſide quiſquam*
*At priùs (ô mores!) & ſpado, mœchus erat.*

3. Quod *pudicum principem* vocabat hic palpo Domitianum, addens eodem l. 7. Epigr. 4. *Debet tibi Roma, quod pudica eſt,* accipiendum eſt, vt ab aſſentatore ſcriptum. Nec ſanè adſcribentur qui ſciunt Domitiani inceſtas cum nepte nuptias, & qui apud Philoſtratum l. 7. vitæ Apollonij c. 17. legerint, eum adoleſcenti ſpecioſiſſimo, quod in captatum ab ipſo Imperatore probrum, conſentire noluiſſet, mortem crudeliter intuliſſe. Sic docuit Domitianus *Romam pudicam eſſe*, ſic dici potuit, *pudicus princeps.* Quomodocunque tamen ipſe vitam compoſuerit, (& certum eſt compoſuiſſe peſſimè,) lex eius in exectiones, fuit honeſtiſſima, nec à Martiale tantùm celebrata, ſed etiam à Statio l. 4. Sylu. carmine, qui titulus *Via Domitiana*, vbi ait de eo.

*Qui fortem vetat interire ſexum;*
*Et Cenſor prohibet mares adultos,*
*Pulchræ ſupplicium timere formæ.*

Idem lib. 3. eiuſdem operis, carmine de Coma Earini, laudans hoc edictum Domitiani.

*Nondum pulchra Diuis clementia cœperat ortu*
*Intactos ſeruare mares. Nunc frangere ſexum*
*Atque hominem mutare nefas; gauiſáque ſolos*
*Quos genuit natura videt, nec lege ſiniſtra*
*Ferre timent famulæ natorum pondera matris.*

Et mirum eſt, principem apud quem omnia poterat Earinus Eunuchus, Martiali l. 9. Epigr. 12. & 13. ac 14. laudatiſſimus in Eunuchorum

Eunuchorum abolitionem contuliſſe operam. Aliud volebat. Apollonius apud Philoſtratum l. 6. vitæ c. 17. cum de Domitiano dixit, *eum feciſſe terram Eunucham.* Id enim pertinet ad aliud Domitiani edictum, quo vetuerat ſeri in Aſia vites, & exſcindi in prouincijs vineta iuſſerat; ſiue quod vini vbertate excitarentur ſeditiones, ſiuè quod exiſtimaret, nimio vinearum ſtudio negligi arua, vnde frumenti ſumma inopia. Quam ob cauſam edixit Domitianus, ne quis in Italia nouellaret, (inquit Tranquillus *in Domitiano*;) vtque in prouincijs vineta ſucciderentur, relicta vbi plurimùm, dimidia parte. Idque eſt, quod in eo collaudat loco annotato, Statius, cum ait,

*Qui caſta Cereri, diu negata*
*Reddit iugera, ſobriáſque terras.*

Et ſic *Eunuchas* fecit terras, iuſſis exſcindi vinetis. Quanquam addit Suetonius, eum nõ perſeueraſſe rem exequi. Quinimò miſſus ad eum legatus eam ob cauſam Scopelianus, non ſolùm euicit vt impunitum eſſet vites ſerere; ſed etiam impetrauit, vt pœna irrogaretur abſtinenti eo munere: Tanta fuit in legato dicendi facultas, & in Domitiano flexibilitas.

4. Deceſſoris ſui legem in exſectiones, firmaſſe Neruam, autor eſt Dio, & viguit etiam poſtea ea lex ſub Adriano, (vt vidimus,) nec non ſub Antonino, & ſucceſſoribus veris: Nam tunc floruit S. Iuſtinus, qui teſtatur, adoleſcentem Chriſtianum, ad amouendas ſuſpiciones falsò de Chriſtianis excitatas, petijſſe à Præfecto Auguſtali, exſectionis legibus vetitæ facultatem, vt infra referam. Non petijſſet ſanè eam facultatem, ſi lex euiguiſſet ea ætate. Sed & Vlpianus qui ſub Alexandro Seuero claruit l. 27. ff. *ad l. Aquil.* ex Viuiano refert, ſi puerum quis caſtrauerit & pretioſiorem fecerit, ceſſare Aquiliam; ſed iniuriarum eſſe agendum, aut ex edicto Ædilium, aut in quadruplum. Non ita Conſtantinus, cuius reſcriptum ad Aurelium Ducem Meſopotamiæ, refertur lib. 4. Cod. tit. 42. qui eſt *de Eunuchis* in hæc verba [Si quis poſt hanc ſanctionem, in orbe Romano Eunuchos fecerit, capite puniatur: mancipio tali, nec non etiam loco, vbi hoc commiſſum fuerit, domino ſciente & diſſimulante confiſcando.] Apparet, optimum Prin-



Digitized by Google

cipem humanorum corporum deformationem ac mutilationem habuiſſe exoſam; cum & faciem inuri characteribus, (vt olim vſu receptum erat,) inhibuerit, edicto quod extat in Cod. Theodoſ. l. 2. *de pœnis*; & nunc integritatem corporum per Eunuchiſmum violari vetuerit, non qualicunque multa impoſita, vt Viuianus ſtatuebat, ſed ſub pœna capitis vt fecerat Adrianus, cuius legem tunc (vt videtur,) laxatam, innouauit, & ſeruatam omninò voluit. Nouellam 60. Leonis cognomento Sapientis, in eandem ſententiam, profert Balſamon ad Canonem 24. Apoſtolor. Alia aliorum Principum decreta ad eandem mentem, attingam infra varijs occaſionibus. Nam ſæpè ſæpiùs, hæc hydra ex propudioſis finibus identidem repullulans, reciſa eſt; ita vt in Nouella Conſtitut. 142. Iuſtinianus dicat, *exectionem poſt tot retrò Principum ſanctiones*, non eſſe abſque condigna vltione permittendam. Addenſat ea iura ciuilia Petrus Gregorius lib. 7. Syntagm. c. 2. & lib. 36. cap. 16.

5. Sed non poteſt abſque inſigni veritatis, pro qua ſatagimus, iniuria, prætermitti ius nouum à Iuſtiniano conditum, Conſtitutione illa Nouella 142. vbi præfatur, multos retrò Principes, in eos qui Eunuchos facerent, animaduerti iuſſiſſe; nonnullos tamen paulò ante auſos eſſe tam impio facinore ſe inquinare, & ſupplicijs addictos eſſe, & ne ſic tamen temperari impia actione: & in tantam multitudinem excurrere hanc nequitiam, vt è nonaginta exciſis, ægrè tres euaſerint incolumes. Hæc præfatus Iuſtinianus, & conteſtatus ſe aſtringi vi muneris concrediti, tanto malo proſpicere, ſubdit. [Sancimus igitur, vt qui in quocunque Reipublicæ noſtræ loco, quamcunque perſonam caſtrare præſumunt, aut etiam præſumpſerint; ſiquidem viri ſunt qui hoc facere præſumpſerint, aut etiam præſumunt, idem hoc quod alijs fecerunt, & ipſi patiantur: Et ſi incolumes euaſerint, tam bona eorum addicantur fiſco, quàm ipſi mittantur in gypſum, vbi locorum per omne vitæ ſuæ tempus eſſe debebunt. Sin vero mulieres ſint, quæ id egerint, afficiantur & ipſæ ſupplicio, & bona earum addicantur fiſco, mittantúrque in exilium, vt ex quo puta-

uerint aut putant impium ſe lucrum aſſecuturas, ex eo ſupplicia ſimul, & bonorum amiſſionem ſuſtineant. Porrò & eos qui ad hoc mandatum dederint, obtulerintve perſonas, aut etiam domos, vel locum aliquem ad hoc præbuerint aut præbent, ſiue viri ſint ſiue mulieres, eadem ſubire ſupplicia iubemus, vt potè qui iniuſtæ huius actionis teſtes facti ſunt.] Addit multa de ſeruorum qui Eunuchi facti fuerint, aſſertione in libertatem, & emancipatione ab herili poteſtate, vt eo diſpendio permoti domini, ad hoc flagitium non conniuerent; & multò magis ab eo patrando vel amandando abſterrerentur: Se verò nunquam paſſurum, vt tot cædes diſſimularet. [Si enim barbari (inquit,) ſimul atque noſtra de hoc audierunt mandata, hæc cuſtodierunt; quomodò tandem permittemus, vt poſt tot retrò Principum ſanctiones, tale quid denuò ſequatur, & inultum relinquatur in noſtra Republica?] Quod ait de Barbaris ad ſua præſcripta de hac re illicò inflexis, pertinet ad Abſagos, gentem Barbaram, ad Caucaſum degentem, quam Iuſtinianus per ſuos Duces ſubegit, vetuitque deinceps abſcindere pueros pro vſu apud eam inolito; quod ex ea ora ferè peterentur Eunuchi, Imperatorum Cubicularij. Rem narrat Euagrius l. 4. hiſtor. c. 22. Optimè verò habet, quod gens rudis & lanienæ huic aſſueta, audito Iuſtiniano dedocta errorem, abſtinuerit illicò, tanto támque inolito, & lucroſo in ſpeciem flagitio.

5. Ex his patet meritò iuris ciuilis DD. auerſari exſectionem, tanquam iure quod profitentur proſcriptam. Et Alciatus quidem l. 7. parerg. Iuris c. 23. ita concitatur aduersùs hanc atrocitatem, vt disertè pronunciet, in iure ciuili prohibitum omninò eſſe hoc pœnæ genus; nec aliqua ratione ſinere conſtitutiónes, caſtrari homines: ſiuè quod fiat hoc modo iniuria naturæ, ſiuè quod id pugnet cum publica vtilitate, quæ in ſuſcipiendis liberis verſatur: reijcítque Oldradum, qui conſilio vltimo pronunciarat, Iudæum aut Gentilem, Chriſtianæ commiſtum, non prætextu matrimonij (quod capitale eſſe conſtitutum eſt l. *ne quis Chriſtianam* C. *de Iudæ.* & l. 1. C. *de nupt. Gentil.*) ſed ex intemperantia, amputatione virilitatis

eſſe puniendum vt quidam fecerant. Hoc iudicium, Alciatus lanijs, non Iuriſperitis quadrare exiſtimat; in iure autem ait prohibitum omninò eſſe hoc pœnæ genus. Idem tradit Guliel. Benedictus ad cap. *Raynutius* de Teſtam. V. *qui cum alia* à n. 16. & 17. æquiparans hanc partem, faciei; cuius eſt potius ſpectare tormenta, quàm perpeti, eo quod ſit inſtar cœleſtis pulchritudinis figurata, vt habetur ex edicto Conſtantini relato l. *in metallum* C. *de pœnis*. Illud inſuper Benedictus ſpecialiter conſiderat; in hoc crimine, ſicut in crimine læſæ maieſtatis procedi poſſe, etiam capitaliter contra abſentem. Nam hoc quoque flagitium, & contra majeſtatem diuinam corporis noſtri effectricem; ac etiam contra humanam naturam, cuius erga ſingula indiuidua humana, autoritas agnoſci debet ſuprema, ſecundùm Deum. Addit inſuper Benedictus num. 17. adeò atrox eſſe crimen exſecantis, vt (quod iam ſupra retuli,) difficiliùs Princeps indulgeat veniam caſtranti, quàm homicidæ, quod reipſa contigiſſe notat in Præfectura Cadurcenſi anno 1482.

7. Hæc quamuis ita ſe habeant, tamen perperam Benedictus, & Alciatus, affirmant, nuſquã in Iure admitti hoc pœnæ genus; cum diſertè Iuſtinianus Nouella Conſtitut. 142. decernat exſectori exſectionem; poſſéque aliquandò hanc pœnam iuſtam eſſe, monſtratum eſt §. 1. Tamen quod iſti DD. tradunt, (extra euentum pœnæ condignæ alicui ſceleri, qualis §. illo primo eſt expoſitus, & aliquot exemplis illuſtratus, ) de capitali pœna huic noxæ inferenda, approbandum eſt, tanquam in tot iuribus annotatis expreſſum. Ideóque paſſim recipitur à Iuriſperitis, ſiuè ad l. 4. ff. *ad l. Corneliam de ſicarijs*, vbi Hippol. de Marſilijs, ſiue ad l. 1. C. *de Eunuchis*, vbi præclarè Baldus. Et addendi ſunt Menochius l. 2. de arbitr. caſu 570. Iacobus Dambouderius in Praxi Crimin. c. 88. n. x1. Petrus Gregorius l. 7. Syntag. c. 2. à num. 12. & lib. 36. cap. 16. Gomeſius ab Ameſcua l. 1. de poteſtate in ſeipſum cap. 21. num. 5. Petrus Ærodius lib. 3. rerum iudicat. titulo 8. cap. 1. aliás lib. 5. tit. x. cap. 1. Petrus Placa in Epitome delictorum c. 25. Paulus Chriſtinæus rerum in Belgio iudicatarum volum. 3. deciſ. 65. Hi

Digitized by Google

omnes agnoſcunt, iuxta leges, caſtratorem de quo agimus, eſſe reum mortis.

Quæ cum ita ſint, mirari ſubijt iudicium quod non ita pridem prodijt ab Abbate ius gladij habente, latum in obnoxium ſibi Priorem. Comperta narro Homo nequam, moderator Parthenonis, non horruit ſupergredi in negotio fratrem ſuum; & illum fratrem qui benignitate ſupra quàm dici poteſt admirãda, dignatus eſt dici frater noſter. Eius ſponſæ ſpurcus tenebrio, factus eſt; quod apud Optatum Felix Idicrenſis, & Vrbanus Formenſis Donatiſtæ, alijs; quas cum matres inueniſſent, fecerunt mulieres. Quid pudenti calamo, tetrum ſcelus obuelo? Semouenda ſunt verborum perizomata, & retegenda cum deteſtatione turpitudo. Filius ſerpentis, miniſter Diaboli, violator templi Dei (flores ſunt quibus Ambroſius l. ad Virginem lapſam c. 9. corruptorem ſacrilegum reſpergit;) vas Chriſto oblatum, furioſa temeritate fœdauit, & Virginem Chriſti fecit tuguriũ Diaboli. Ac vt teſtis iniquitatis eſt peccatum, (iuxta D. Baſilij obſeruationem ad illud Iſaiæ 5. *Veh qui trahitis iniquitatem in funiculis*, firmatam à S. Gregorio, 33. mor. c. 12. ad illud, *& fune ligabis linguam eius?*) abyſſo abyſſum inuocante, ſcelus ſceleri agglomerauit, cultro admoto virilitate ſe ſpolians; vt haberet quod excuſaret, ſi accuſatióne ſceleris vrgeretur, & de gradu ac pingui beneficio periclitaretur. Nec tamen potuit infamis patrator, Vagitano arguente; per interpoſitam exectionem, operire nequitiam. Deprehenſus, cum dedendus eſſet quæſtionario, & obnubendus à lictore, permiſſus ſibi eſt tanquam qui ſatis luiſſet nefariam libidinationem. Pro deformatione autem diuini operis, & ſæuitia in ſeipſum, indemnis fuit. Itaque duplici morte dignus corruptor; & ob ſtuprum ſcilicet ſacrilegum ex l. *ſi quis non dicam* C. de Epiſc. & Cler. & ob ſuimet truncationem æquè capitalem, ex prolatis proximè legibus; vtramque euaſit; quod (vt dicebam) mirari ſubjit.

§. 5. *Ius diuinum poſitiuum, eunuchizationem proſcribens.*

1. Duplex eſt ius diuinum; nempè naturale & poſitiuum.

Quam ius diuinum naturale ab exectione abhorreat, hactenùs monſtratum eſt; Et quia hoc ius, eſt lumen vultus Dei ſuper nos omnes ſignatum, monſtratum ſimul eſt, omnes gentes quæ hoc ius diuinum digito Dei in mentibus ſuis inſcriptum, immanitate morum & præternaturali feritate non obliterarunt, eidem inſtituto inhæſiſſe, & exſectionem habuiſſe exoſam. Nunc ius diuinum poſitiuum attingendum eſt, quod lege ad Hebræos data continetur. Nam alia lex poſitiua diuina quæ Chriſtianos dirigit, non deſcendit ad hoc interdictum in particulari; contenta vt ius naturæ retineretur, quod & in pleriſque alijs iure naturæ indictis, ſive primario diuino iuri conſentaneis, obſeruauit.

2. In lege igitur antiqua, quàm Deus improbauerit Eunuchiſmum omnem factitium, intelligi inprimis poteſt ex c. 22. Leuit. vbi num. 24. in hæc verba præcipitur. *Omne animal quod vel contritis, vel tunſis, vel ſectis ablatíſque teſticulis eſt, non offeretis Domino: & in terra veſtra hoc omninò ne faciatis.* Illud *hoc* non refertur ad oblationem; quaſi ſenſus ſit, *nihil tale Deo offeretis in terra veſtra.* Nam oblatio animalium ex voto facta, de qua ibi agitur, ſeorſim ab oblatione facta in Sacerdotis vſum, ſpectabat eorum immolationem, quam liquet non potuiſſe fieri in tota terra Iſraël, ſed tantùm in loco determinato, quem Dominus ſibi delegiſſet ad ſacrificia ibi peragenda. Quare illud *hoc non facietis*, referendum eſt ad contritionem, tunſionem, aut ſectionem, atque abſciſſionem teſticulorũ animalis; quas actiones Deus nullo pacto voluerit fieri in vniuerſa terrã populi ſui; cum ob rationem generalem, fundatam in violatione diuinæ fabricæ, cui veluti cenſorem & reprehenſorem ſe ſtatuit qui animalis corpus à Deo ſtructum detruncat, aut mutilat; tum ob rationes myſticas complures, quas S. Cyrillus lib. 14. de ador. & Radulphus Flauiniacenſis ad hunc locum, alijque perſequuntur. Admittunt eum quem dixi planum literæ ſenſum, Abulenſis, Caietanus, & alij, nihil veriti priuare Hebræos vſu caporum. Imò id ſpectaſſe Deum putant, ne Hebræi carnibus illis tenerioribus ac ſapidioribus veſcentes, Gentibus aſſimilarentur; quæ ſtudioſè ſeruientes abdomini, captabant illas

gulæ illecebras. Difficiliùs eſt, quod de equorum, & taurorum vſu opponi poteſt. Nam equi non caſtrati, ſunt intractabiliores: & tauri non emaſculati, incōmodiores ſunt ad vſum agriculturæ. Qua ex cauſa aliqui, contra planum quem diximus literæ contextum, admittunt, extra vſum ſacrificij, adhiberi potuiſſe bruta execta apud Hebræos. Verùm nihil eſt neceſſe, ob ea incommoda literam euertere: cum falſum ſit, equos integros ad vectionem, & tauros non exectos ad agriculturam, vſui ſimpliciter eſſe non poſſe. Et quamuis ita eſſet, potuiſſent animalia iſta execta alibi, comparari ab Hebræis, & ad eos vſus adhiberi. Tantùm enim vetabantur Hebræi tale quid ipſi præſtare in vniuerſa terra promiſſionis. Monſtrauit ergò perſpicuè Deus populo ſuo, per legem quam excutimus, diſplicere ſibi Eunuchizationem, etiam animalium brutorum, vt Ioſephus rectè intellexit l. 4. antiquit. c. 8. Et agi de Eunuchizatione, non de compreſſione, vel contuſione carnis, benè contra tricas Eugubini tuetur Bonfrerius ad c. 22. Leuit. v 24. Nam. 70. & Chaldæus apertè ita expreſſêre voces Hebræas; quæ in genere quiduis cōtritum, tuſum, aut euulſum, ſonabant. Et ita quoque paſſim expreſſerunt eas voces Hebræi, & Pagninus, ac Caietanus, eas cum vulgato interprete arctantes ad teſtium contuſionem, & euulſionem.

3. Locus alius veteris teſtamenti ſpecialiter ſpectans hominis exectionem, habetur Deuter. 23. vbi ſic præcipitur. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Domini.* In Leuitico non memorabatur exciſio virilis haſtæ (vt Græci loquuntur,) ſed tantùm exciſio, vel diffractio teſtium. At hîc etiam ea alia mutilatio proponitur, ad excludendum hominem, non alienigenam tantùm, ſi velit circuncidi & Hebraica inſtituta capeſſere, (vt malè limitat Bonfrerius hîc;) ſed vniuerſaliter omnem hominem, ne intret in Eccleſiam Domini. Hoc quid ſit, variè exponitur. Hebræi enim nonnulli, arbitrantur tales Eunuchos excludi tantùm à coniugio cum fœmina Iſraelitide. Ita refert Lyranus ad hunc locum, & ſubſcribunt ijs Hebræis, Vatablus, Eugubinus, & Sa: nam quamuis coniugium Eunuchorum fruſtra videatur prohiben-

Digitized by Google

dum, cum ſuaptè natura ſit nullum, vt euincit Francolinus tract. de matr. Spad. & Sixtus V. declarauit: Tamen exleges aliqui, eò etiam deuenerunt, vt vxores ducerent; ídque nominatim poſtea vitandum cenſuit Leo Imperator Conſtit. 98. Et multi DD. Catholici ante Sixtum V. coniugia Eunuchorum approbauerunt, ita vt neceſſe fuerit, ea vetari Pontificio edicto.

4. Veriſimilior eſt expoſitio aliorum, qui ingreſſum in Eccleſiam Domini Eunuchis prohibitum, accipiunt de cooptatione in præfectos populi, & dignitatibus præditos ſuper alios. Qua ratione ſumi *Eccleſiam Domini* apud Siracidem c. 38. obſeruat ibi Ianſenius; Dicitur enim ibi de mechanicis artificibus, *non inhabitabunt, neque inambulabunt, & in Eccleſiam tranſilient: ſuper ſellam Iudicis non ſedebunt, & teſtamentum iudicij non intelligent, neque palam facient diſciplinam & iudicium*, Græca ſonant. *In Concilio populi non requirentur, neque ſupernominabuntur.* Quæ omnia ferunt excluſionem opificum à gradu præfectorum, & Iudicum, vel tractantium publica negotia; quibus functionibus addicti, *ſupernominantur in Eccleſia*; id eſt, nomen obtinent ſublime, ac erectum ſuper alios in cœtu populi. Eunuchos ergò quomodocunque mutilos, vetabat Deus, in huiuſmodi gradus inter Iſraelitas ſubuehi: Et perinde erit ad præſens inſtitutum, ſi Eccleſia Domini, quam intrare prohibetur Eunuchus, accipiatur cum Cornelio, de iure Ciuitatis; ita vt ſenſus ſit, Eunuchos non potiri iuribus ac priuilegijs cæterorum ciuium. Ita enim ſumi videtur *Eccleſia populi Dei* Numeror. 20. vbi dicitur. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Dei, in ſolitudinem?* Et Iudic. 20. eodem ſenſu dicitur, *Omnes anguli populorum, & cunctæ tribus Iſrael in Eccleſiam populi Dei conuenerunt.* Probat eam interpretationem legis de qua agimus Cornelius hic.

5. Quod ſi adhuc arctiùs ſumatur *Eccleſia Domini*, quam Eunuchus intrare vetabatur, nimirum pro atrio tabernaculi aut templi, quod gentes non ſubibant, ſed ſoli Iſraelitæ; multò magis liquebit, de Eunuchorum exigua apud Deum gratia; quippè quos ne præſentia quidem ſua & domo dignetur. Ita intelligunt hoc interdictum Theodoretus & Olympiodorus, & plerique

Digitized by Google

plerique recentiorum in c. 56. Iſaiæ, vt Didacus Aluares, Gaſpar Sanches, & alij quidam; conſentanèe ad illud Threno. 1. *Vidi gentes ingreſſas ſanctuarium tuum, de quibus praeceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam.* Habebantur ergò Eunuchi, perinde atque Gentiles, cum æquè ac iſti excluderentur eo atrio templi ac tabernaculi, cuius ingreſſus populo Dei liber erat, Ethnicis ad atrium gentium ablegatis. Quocunque ex his modis veriſimilibus, exponatur *Eccleſia Dei*, quam intrare vetabatur Eunuchus, conſtat de iure diuino poſitiuo, contra exectionem; qui erat hoc loco ſcopus noſter. Abelardus in ſuarum calamit. hiſtoria c. 8. hoc diuinum præceptum, cenſuit latum ob oliditatem & immunditiã Eunuchorum Sed aliò ſpectaſſe Deum & iniuriam opificij ſui, ad eum modum multare voluiſſe, veriſſimum videtur. Quanquam nobis in præſentia ſufficit, quod conſtet de hoc diuino præcepto, quamcunque ob cauſam latum dicatur.

### §. 6. *Iura Eccleſiaſtica contra exſectionem.*

1. Non ſiluit ius Eccleſiaſticum hac in parte, ſed ſæpè ſæpiùs exectionem improbauit, alia de cauſa factam, quàm Medicinæ. Et exectionem quoque in aliena illatam miſeratione dignam duxit, ita vt eam paſſos, liberet omnibus pœnis & inhabilitatibus conſtitutis exectioni vltrò ſuſceptæ, niſi ſi exectio tolerata ab inuito, ſit inflicta ob culpam; vt cum quis inuadens alienum thorum, à furentibus cognatis deprehenſus, exſecatur. Talem enim tametſi inuitus ac renuens exſecetur, eſſe irregularem, rectè aſſerunt Couarr. ad Clem. *ſi furioſus* 1. p. n. 6. Nauar. in ſumma cap. 27. n. 198. Mol. tract. 3. d. 70. n. 18. Suares t. 5. 3. p. d. 15. ſ. 2. n. 8. Auila p. 7. diſp. 3. dub. 1. Laym. l. 1. tract. 5. c. 7. n. 5. negante præter cæteros, Toleto l. 1. c 63. *in fine*. Eum autem qui abſque ſimili culpa inuitus talem iniuriam patitur, æquè ac Eunuchum natum, Eccleſia miſeratur, non multat, vt habetur Canone 21. Apoſtol. Secùs eſt de ſponte execto, abſque faciendæ Medicinæ neceſſitate. Talem enim iura Canonica multipliciter multant, vt nunc eſt demonſtrandum.



Digitized by Google

2. Et inprimis, eiuſmodi Eunuchum, ſacri canones & ſcita Eccleſiaſtica, irregularem eſſe ſtatuunt; vt rectè docent Couarr. Clem. *ſi furioſus* parte 1. princ. num. 5. Villadiego tract. de irregularit. c. de corpore vitiatis, Maiolus Tract. de irregul. cap. 15. Placa in Epitome delicto. cap. 25. num. 12. Layman l. 1. Tract. 5. p. 5. c. 7. n. 5. Carolus Anton. Theſaur. Tract. de pœnis Eccleſiaſtic. V. *membrorum mutilatio*, & paſſim cæteri; Eſtquè perſpicuum ex Can. 21. & 23. Apoſtol. vbi decernitur, vt is qui ſe vltrò mutilauit, non admittatur in Clerum; vel ſi iam erat Clericus, deponatur & exturbetur è Clero. Idem ſanxit Nicæna Synodus Oecumenica 1. Can. 1. [ Si quis ( inquit, ) cum eſſet ſanus, ſeipſum exſecuit, eum etiam in Clero conſtitutum, ceſſare conuenit; & deinceps nullum talem oportet promoueri. ] Spectauit hæc decreta S. Ambroſius ſub finem libri de viduis, cum dixit, eſſe ſtatuta maiorum contra abſcindentes ſeipſos. Nam homo Dei, per *ſtatuta maiorum*, non intellexit edicta Imperatorum quæ ſupra memorauimus; ſed intellexit iura Eccleſiaſtica, quibus exectione interdicitur; & nominatim illud quod Synodus prima Oecumenica; tantæ apud omnes Patres, ipſúmque D. Ambroſium venerationis, fronte ( vt ita dicam, ) præfert; indignum eſſe decernens, vt qui ſic in ſe deformauit diuinam plaſticem, adſcribatur ſacro Clero, vel perſiſtat in eo, ſi iam adſcriptus fuerat ante exectionem. Quod eſt irregularem conſtituere, eum qui cum ſanus eſſet exſecari voluit, vt ante Nicænam Synodum conſtituerant Apoſtoli.

3. Hæc irregularitas videtur à NIcæno Concilio confirmata, propter factum Origenis, de quo infra plenius: & propter ſpurcum Leontium, Presbyterum Antiochenum, ob Euſtolij mulieris cohabitationem, infamia flagrantem. Turpis enim hic concubinus, ne amica iuxta Canonicas ſanctiones auelleretur, ſeſe exſecuit, vt ſcribit Socrates l. 2. c. 21. ac Theodoretus 2. hiſtor. c. 24. & ante hos quoque S. Athanaſius Epiſto. ad Solitarios. Putabat enim ſe adhibita exectione, incontinentiæ ſuſpicionem detorſurum, non obſtante contubernio. Attamen infamiam non aboleuit; ſed cumulauit truculentia

in ſeipſum; vnde gradu motus eſt, vt ſcribit S. Athanaſius in calce libri de fuga ſua. Poſtea verò contra Nicænum Canonem, voluntate Cōſtantij Arriani euectus in Præſulem Antiochenū, (vt ſcribit ſupra Theodoretus,) multa mala intulit Eccleſiæ: & præter cætera, Aëtium hæreticum ordinauit Diaconum, fouítq; ac promouit pro viribus. Multati ergo ſunt irregularitate per Synodum Nicænam ſummæ ſemper in Eccleſia venerationis, Eunuchi (vt ita dicam,) *vltronei*. Et iuſtum fuiſſe irregularitatem in Eunuchos decerni, declarant hæc S. Cyrilli verba apud ſuidam V. *σπάδων*, poſt expoſitas turpitudines Eunuchinas. [A ſacris ſeptis, & à templis longè diſcedant. Cùm enim turpiſſimo & peſſimo animo, præclarum & diuinum opus in malum & odioſum ac deteſtandum decretum mutarint, & inuerterint; & ſpiritualem caſtrationem interdictæ actioni ſeruire coëgerint. digni ſunt qui non ſolùm ex legum ſuffragio pœnas luant, ſed etiam ex Angelico & Apoſtolico mandato, in exteriores tenebras penitùs abigantur. De talibus enim dixit Moyſes. *Fractus & exectus*, cui ſcilicet teſtes ſunt contuſi, aut reſecti, & auulſi, *non ingredientur in templum Domini.*] Huc ſpectat querela S. Iſidori Peluſiotæ l. 1. Epiſto. 250. ob adſcriptos in Clerum ſpadones, effœminatos, & ſeruos. Ad quod exclamat. [Papæ; quot manibus diuinum ſacrarium contaminatur.]

4. Obſeruandum porrò diligenter eſt in rem præſentem, hanc irregularitatē iuxta Morales Theologos & Doctores Canonum, eſſe ex delicto. Neque enim pertinet ad caput illud irregularitatum quod dicitur ex defectu lenitatis; quia hoc caput, tantùm cadit in cooperationes ad iudicium criminale, & ſententiæ criminalis executionem. Atque adeò doctores Canonum ſtatuentes hanc irregularitatem non eſſe ex lenitatis defectu, qui æquè communis eſſet Eunuchis ſic natis, & Eunuchis per violentiam factis agnoſcunt hanc irregularitatem contrahi ex actione mala; proinde exectionem redigunt in ſeriem malorum operum.

5. Ad irregularitatem, ex abſciſſione vltrò illata vel admiſſa contractam, adiungenda eſt excommunicatio, quam ipſo facto incurrit qui abſcinditur ſi ſit Clericus vel Monachus, iuxta c.



Digitized by Google

*ſi quis ſuadente*, vt tradunt Ioan. Andr. Panorm. & Felinus in c. *cum contingit* de ſent. excom. Nauar. in ſumma c. 15. n. x1. Tol. l. 5. c. 6. n. 3. Homo quippè non eſt ſuorum membrorum dominus; vnde ſe abſcindens, peccat mortaliter, & eſt obnoxius cenſuræ. Nec enim ex eo quod ſit ipſemet Clericus qui ſe percutit, minùs verum eſt, quod percuſſerit Clericum. Et idem eſt de Monacho. Firmátque hanc cenſuram, narratio exarata l. 6. vitæ Patrum libello 15. n. 88. de duobus Monachis qui ſe caſtrarunt propter regnum cœlorum, malè intelligentes Chriſti oraculum. Excommunicati autem ab Archiepiſcopo Alexandrino Theophilo, indignati adierunt Archiepiſcopum Hieroſolimitanum, qui & ipſe excommunicatione illos percuſit. Nec aliter factum eſt à Patriarcha Antiocheno, quem poſteà adierunt. Sperantes autem Romanum Pontificem fore erga eos mitiorem, ipſum quoque adiuerunt; & ſuggerentes quæ fecerant alij Antiſtites, dixerunt; *venimus ad te, quia tu es caput omnium.* Ipſe autem excommunicauit eos. Et conturbati, ac tot Antiſtitum colluſionem cauſati, ſtatuerunt adire S. Epiphanium tanquam qui perſonam hominum non eſſet accepturus. Sed is priuſquàm ingrederentur ciuitatem, miſit qui illos aditu prohiberent, quippè iure excõmunicatos. Vnde reuenientes ad cor, meruerunt à S. Epiphanio ſuſcipi, & exolui à contractis nexibus. Alia excommunicatio ob hoc peccatum intorta legitur in Actis legationis Humberti, & aliorum Apocriſariorum Sancti Leonis Noni ad Græcos, ſub Michaële Patriarcha. Ab ijs quippè, Græcis probro præter cætera datum eſt, quod cum valeſijs hæreticis caſtratione vterentur, & ſic abſciſſos, non ad Clericatum duntaxat, ſed etiam ad Epiſcopatum admitterent. Quo pertinet iocus Luitprandi Cremonenſis, in legatione ad Phocam; Epiſcopos Græcorum ob exciſionem vocantis *Capos.* { Ipſi ( ait de Græcis eius æui Epiſcopis,) vendunt, ipſi emunt: oſtia ipſi claudunt, ipſi aperiunt. Ipſi dapiferi, ipſi agaſones, ipſi *capones.* Sed heu! *Caupones* volui ſcribere. Verùm res ipſa quæ vera eſt veritatem, etiam nolentem compulit ſcribere: dicimus enim quia *Capones* ſunt, id eſt Eunuchi, quod Canonicum non eſt. Sunt & *Caupones*, id eſt,

Digitized by Google

Tabernarij, quod contra Canones.] Quod ait non eſſe Canonicum, promouere Eunuchos in Epiſcopos, ſugillatur à Ioanne Fileſaco l. 1. Elector. ſacro. c. XI. *ad finem*, eo quod Eunuchos natos, aut vim paſſos, nihil vetet promoueri, vt diſertè habet Concilium I. Nicænum can. 1. ſed hoc eſt quærere nodum in ſcirpo. Nam Luitprandus indefinitè dixit, non eſſe Canonicum, Eunuchos promouere in Epiſcopos: quod ſufficienter comprobatur verum, de Eunuchis vltroneis, extra cauſam medicinæ; quos vtpotè irregulares & excommunicatos, nefas eſt promouere in quemcunque Cleri gradum, nedum in Epiſcopatum. Et tales erant eo tempore, Epiſcopi plerique Græcorum.

Quantoperè autem hæc laxatio Græcanica & conuulſio Canonis Nicæni, incommodarit Ecclisiæ in oris illis, atque adeò quod monſtrum inde ſit exortum, perſpicuè liquet, ex eo quod teſtis omni exceptione major S. Leo Nonus, Epiſtola in Michaëlem Cerulanum ac Leonem Acridanum c. 23. ſic loquitur,] Abſit autem, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe, vt Eunuchos contra primum S. Nicæni Concilij capit. paſſim promouendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum, ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius vel horror, fraternaque beneuolentia, non permittit nos credere; conſiderata tamen iniuria veſtra erga SS. Cenſuram Canonum, quia Eunuchos & aliqua parte corporis imminutos, non ſolùm ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam, indifferenter & ſolemniter adhuc promouetis, fieri potuiſſe penſamus.] Hallucinatus eſt Pet. Ærodius l. 1. rer. iudic. tit. 4. c. 14. cum cenſuit fœminam quam rumor increbuerat inſediſſe throno Conſtantinopolitano, fuiſſe marem Eunuchum, qui extenſa voce ob Eunuchorum muliebritatem (vt loquitur Nazianzenus in S. Athanaſij laudatione) dictus ſit fœmina. At S. Leo, apertè ſecernit Eunuchum à fœmina, & ex promotione Eunuchorum, haud fruſtrà iactatum eſſe, quod fœmina ſimpliciter dicta, throno Conſtantinopolitano inſederit, diſertè tradit. Quo eodem argumento reiici-

Digitized by Google

tur, quod poſſet dici, Pontificem aliquem eneruem & mollem, per iocum ſalitum, dictum eſſe fœminam; vt non nemo vult contigiſſe Ioanni Octauo, à fortitudine prædeceſſoris ſui Nicolai Primi, malè degeneri; vnde orta eſt fabula *Ioannæ Papiſſa*, vulgo Hæreticorum decantatiſſima. Neque hanc *fœminæ* notionem patiuntur verba S. Leonis Noni, aſſerentis, verè fœminam ſimpliciter dictam, ſedi Conſtantinopolitanæ inſtitiſſe, quod tanquam omni monſtro fœdius, auerſatur S. Leo; meritò conclamans in promotionem Eunuchorum, qui quod fœmineas notas præferant, occaſionem promouendi veram fœminam præbere potuerint. Dormitauit porrò, cui Operis ſui de Ordine tract. 1. parte 4. c. 1. n. 6. ſcripſit, reprehenſum eſſe à S. Leone Michaëlem, quod permiſiſſet induci in ſedem Patriarchalem, Eunuchum & fœminas. *Hi erant* ( inquit ) *Ignatius & Nicetas.* Quot verba, tot errores.

## §. 7. *Patrum ſuffragium.*

1. Hauſerunt Canonum conditores & interpretes, ſenſum ſuum de auerſanda exſectione extra neceſſitatem Medicinæ, cum ex fontibus propoſitis, tum nominatim ex ſenſu Sanctorũ, apud quos exectio alia quæcunque, & factitius Eunuchiſmus, peſſimè ſemper audiuit, tanquã ſordens deſtructione diuinæ fabricæ; & aptatio ſic exciſi, ad omnem nequitiam. Quamuis enim aliqui, ſiue ſic nati, ſiue violentiam paſſi, reperiantur à ſanctitate & rebus in Dei honorem geſtis celebrati; tamen magnam partem, Eunuchi factitij vltronei, fuere ſcelerati, vt ſupra demonſtratum eſt: quaſi deformatio diuinæ plaſticæ, ſubtrahente Deo manum fauentem, ceſſerit illis in totius nequitiæ ſcaturiginem, corpore effœminato trahente animam ad infauſtum conſortium. Idque eſſe videtur in cauſa, quamobrem Patres, cum ipſam per ſe exectionem deteſtentur, tum Eunuchos ijs coloribus ſoleant depingere, quibus tetra & furua quæque par ſit exprimi: ad quæ duo capita, breuiter reuoco quæ ad hoc negotium pertinere viſa ſunt apud Patres.

2. Exſectionem vltroneam tanquam cum Dei iniuria & naturæ humanæ violatione coniunctam, auerſantur plerique

Digitized by Google

Patrum, ex parte tacti hoc ipſo capite §. 2. rurſuſque alij fusè referendi cap. ſequenti §. 2. Inſigniter Epiphanius agens contra Valeſios, qui implanati eo Chriſti oraculo, *ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* [Et ſeipſos caſtrant, (inquit Auguſtinus her. 37.) & hoſpites ſuos; hoc modo exiſtimantes, Deo ſe debere ſeruire.] Aduersùs hos ergò, & exectos omnes; & aliorum etiam hoſpitum, aut annuentium, aut vi adactorum exectores, diſputat fusè S. Epiphanius her 58. dicens, *ingentem fuiſſe eorum veſaniam, & ab omnibus eſſe reprobatos.* Caſtrationem autem, vocat *nefarium opus*, propter quod excident corona qui illud patrarunt, & iudicabuntur qui membrum proprium corruperunt, & vineam alienam exciderunt. Domini enim Dei eſt, non cuiuſuis alterius; ac ne ipſius quidem hominis, corpus humanum.

3. S. Baſilius l. de vera virginit. *ſub finem*, abſciſſionem, contra naturæ iura autore ſatana, & olim apud Ethnicos, & poſtea apud Chriſtianos, falſa honeſti ſpecie inductam eſſe, grauiter expoſtulat.

4. Chryſoſtomus Hom. 64. in Matth. exciſionem ait eſſe opus homicidæ, inuentum Diaboli ad detrahendum de creatura Dei; ſeminarium peſtiferorum dogmatum, opus maledictioni ſubiectum. Et in cap. 5. ad Galat. ait, qui abſciſſionem probant, Dei opificium accuſare, & à Manichæis ſtare. Abſciſſionem ipſam, ait eſſe opus extremæ dementiæ, & Satanici conſilij.

S. Cyrillus apud Suidam V. σπάδων, cum multa horribilia de Eunuchis prodit, tum planè auerſandos decernit ratione ſceleris ac fœditatis confectæ operi exectionis, qui eſt locus in quo nunc verſamur. Plagulam repræſento. [Quamobrem profectò conuenientiſſimè, & lex & oratio Euangelica, & optima vita, & Religioſa Reſpublica, hos vehementer abominatur, vt Deo inuiſos & impuros. Iſti enim execrabilem vitam amplexi, & honeſtæ ac caſtæ vitæ anteponentes; quantum in ipſis eſt, vrbes delent, & ſeminalem naturæ rationem corrumpentes, & corrupti; & vigens viri robur & ætatem, & virilem faciem, & generoſam vitam atrociter abſumunt. Denique

Digitized by Google

( vt rem totam paucis expediam, ) iuuenilis ætas robore & vigore apertè corrupto, miſeros & ridiculos efficiunt homines eo ſcelere captos: qui profectò effuſa fuga ſunt fugiendi, & meritò deteſtandi, vt animarum interfectores, & corporum corruptores nefarij, naturæque adulteratores.] Idem S. Cyrillus l. 14. de adorat. [ Non vnus eſt modus quo Eunuchi fiunt, ſed duobus modis fieri dicuntur, atque compertum eſt: alij namque execti ſunt, quibus adempta ſunt virilia; alij, eadem contuſa, prorſúſque inutilia adhuc ferunt. Teterrimè autem atque nefariè abſcinditur nonnumquam pars illa corporis ad liberos procreandos à natura conſtituta; ex quo inertes euadunt ad viri officia, quamuis inter viros natura atque habitu corporis cenſeantur.]

5. Origenis nomine, (vt vehemens ſuſpicio eſt, ) autor latinus tract. 7. in Matth. ſic habet ad illud, *ſunt Eunuchi.* [ Quidam duas Eunuchizationes carnales aſpicientes, ( natiuam videlicet & factitiam corporalem;) quaſi conſequenter dicere exiſtimantes, auſi ſunt etiam tertiam Eunuchizationem dicere corporalem; vt puta, ſi propter timorem Dei corporaliter Eunuchizentur: Et obiecerunt ſe opprobrijs & confuſionibus, non ſolùm apud alienos fidei, ſed etiam apud eos qui ignorantiæ hominum ignoſcere ſolent.] Cur ſuſpicio ſit, hunc locum alterius eſſe quàm Origenis, & quidem Latini Autoris, coniectura ducitur, ex Tract. 5. eiuſdem Operis; cuius autor, ſe latinum dicit. At ſi quintus tractatus eſt Autoris Latini, quidni & reliqui planè conſimiles? vt benè ratiocinatus eſt Bellarminus l. de ſcriptor. *in Origene.* Et quicunque demum ſit autor, vides quid & ipſe de exectione ſenſerit; & eo referente, quod fuerit de eadem, Ethnicorum ac fidelium iudicium.

6. Iam Patrum aduersùs Eunuchos probra, tanquam maledictæ à Deo exciſionis ſurculi ſint, omnia nequitiæ genera, in quæ prolabuntur, recenſet diffusè S. Cyrillus apud Suidam V. *ἀπόκλων.* Non vacat longiſſimam conclamationem viri Sancti in Eunuchos, huc tranferre; Itaque nonnulla carptim delibabo. Vocat ſpadones, naturæ diuinitùs factæ, & dignæ viro

viro formæ immutatores; peſſes, labe factatores & corruptores naturæ, hoſtes ſexus virilis, Reipublicæ ſordes ac labes, vitæ probra, inſtar baccharum & inſanarum mulierum in turpiſſimis ſaltantes affectibus, miſeram vitam cum impura & polluta ac ſcelerata viuendi ratione commiſcentes, ambiguos inuiſos vultus circumferentes; Monſtra faciẽ portentoſa forma præditam habentia, naturam maris, fœminæ verò aſpectum habentia. Per ſpeciem modeſtæ compoſitionis & fidelitatis admitti à magnatibus aſſerit, ſed haud ita multo poſt, ineſcatos, in Pentapolitanum barathrum detrudere & æterno exitio mancipare. Infert inde S. Cyrillus, tam tetros, tam ſceleſtos ſemimares, effuſa fuga eſſe declinandos, ſummáque virium contentione vitandos, & meritò deteſtandos, vt animarum interfectores, & corporum corruptores, & naturæ adulteratores: meritò vocatos, fœminas expertes mammarum, non viros; viros fœminas, ſemiuiros, naturæ ſexúſque dubij, ferro damnatos. Addit alia in eam propudioſiſſimam colluuiem S. Cyrillus: quæ piget adſcribere, quia iam faſtidio cõuolui in tantis fæcibus, tametſi alienis, & ſcopa ſanctiſſimi Doctoris egeſtis.

## CAPVT V.

*Sigillatim de malitia Eunuchiſmi, vltrò ſuſcepti in varijs euentibus, extra medicinæ neceſſitatem.*

QVæ hactenùs ſunt adducta, ſpectant omnem prorsùs ſpontaneam exectionem, extra negotium curationis ſuſceptam. Nunc ſigillatim excutiendi ſunt nonnulli euentus, in quibus apud aliquos, exectio vltrò ſuſcepta, viſa eſt labe vacare.

### §. 1. *Fœditas explorata Eunuchizationis factitiæ, ad ſacrilegam ſpecie religionis obſeruantiam.*

1. Pax à lectorum oculis poſcenda denuò eſt in hoc aditu.



Digitized by Google

Actthe enim de propudioſa impietate Ethnicorum circa exectiones, cogar in ea ſtylum demittere, quæ nunquam conſpici, nunquam audiri præſtitiſſet, tanta eſt eorum obſcænitas & turpitudo. Sed vt appareat, quantoperè omnis fæditatis adamator Satan, in locis humentibus dormiens, id eſt, in luxuriæ mancipijs, ( iuxta Gloſſam S. Gregorij. 33. Moral. cap. 5. ) exectionem probarit, & habuerit acceptiſſimam, adigor in graueolentem materiam ſtylum demittere. Id quod tractatori in fœditatum extirpationem incumbenti, præſtandum ſecurè & abſque noxa eſſe, admonuit S. Chryſoſtomus Hom. 37. in 1. Cor. & Hom. 5. in 1. ad Theſſalon. In hoc autem negotio, eo terrior & deteſtabilior eſt obſcenitas, quod Satan cœnoſæ carnis illuuei, ad miſeros & ineſcàndos incentor, vt eſt apud S. Cyprianum, etiam delicta, fecit miſeris religioſa videri. Simili ſanè ſuperſtitioſæ inſaniæ diritate, perſuadet hodiéque Turcarum nonnullis, vt viſo Mahumetis ad Mecam ſepulchro, ſe exoculent; conteſtantes, viſo tam ſancto, ( ſcilicet, ) nihil ſe deinceps conſpici dignum, in terra viſuros, vt obſeruauit Iacobus Durantus l. 2. var. c. 3. Perinde ſcilicet eſt Satanæ, ſpecie religionis illudere, & ſuam feritatem in Dei imaginem quacunque ratione exſaturare.

2. Hoc manifeſtè deprehenditur in exectionibus tot ſacerdotum falſis numinibus addictorum. Perſuaſos enim è Dei honore eſſe ſic mutilari; vel vt eorum myſtæ, planè puri & à venerea colluuie elongati exhiberentur, exſectos adhiberi ad ſacerdotia, plerumque curauit. Sanè Ægyptij ſacerdotes, erant execti, vt ex Anaxandride innuit Athenæus l. 7. c. 13. De Heliopolitanis in Ægypto ſacerdotibus, id extra dubium facit Herodotus lib. 2. Item Epheſiæ Dianæ Sacerdotes, Eunuchi erant, ex Strabone lib. 14. qui illis concreditas ſacras virgines memorat. De Hierophantis Athenienſium, cicutæ ſorbitione caſtratis, adhuc ſuo tempore, S. Hieronimus teſtis eſt l. 1. in Iouin. Erat enim ſenſus ille apud Ethnicos peruulgatus, & altiſſimè impreſſus, veneri & ſacris non benè conuenire; atque ideò initiandi, vel ſacris operaturi, ſtudebant quibuſcunque poſſent vijs, ſopire libidinem. Ipſæque mulieres ſacris

Digitized by Google

initiandæ, folia viticis ſibi ſubſternebant, perſuaſæ id conferre ad reſtinguendos internos ignes. Benè oratione contra Timocratem Demoſtenes, agens de ſacrorum Præſidibus, ex communi tunc ſenſu, ait. [ Ego ſanè ſic exiſtimo, eum qui ad ſacra accedit, & res ſacras ſit tractaturus, aut res ad Deos ſpectantes curaturus, oportere non prædictum, aut ſtatutum dierum numerum eſſe caſtum; ſed per vniuerſum vitæ curſum ab huiuſmodi turpibus ſtudijs abſtinuiſſe.] Qui ergò ſacra ex officio curaturi, deſperabant continentiam, quia alia via frænandi trucem feram ſecum incluſam non inueniebant, ſuimet exſectione, aut emaſculatione quomodolibet curata, proſpiciebant indemnitati ſacrorum; vt feciſſe prædictos ſacrificulos falſorum numinum myſtas, præmiſi.

3. Sed nullorum apud Ethnicos ſacrorum hominum, (& verè *ſacrorum* quia deteſtabilium, iuxta illud *auri ſacra fames*;) peruulgatior eſt euiratio, quàm myſtarum addictorum obſequio Rheæ matris Deum, quæ item Cybele dicta eſt; aut (vt alij maluerunt,) Iunonis miniſtrorum, de quo anceps eſt Lucianus l. de Dea Syria: Alij Iſidem eandem cum Rhea eſſe volunt. Et ſanè Iſidi, à turpibus quoque effœminatis cultus deferebatur, vt eſt in carm. ad ſenatorem Apoſtatam: quia tamen frequentius dicuntur Rheæ, ſiuè Cybeles miniſtri, ita ſanè dicantur. Spectat ad iſtos perſpicuè, locus Aretæi περὶ χρονίων παθῶν, vbi multa inſaniæ genera recenſens, ad extremum refert vnum, quod his verbis exprimit. [ Sunt qui membra ſibi ipſis amputant, tanquam Dijs proprijs ea repetentibus, gratam rem pia cogitatione facturi. Atque inſania huiuſmodi, in opinione duntaxat collocatur, cum in reliquis temperatè ac prudenter degant. Excitantur verò tibia, animíve oblectatione, aut tumulentia, aut aſtantium exhortantibus. Manat huiuſcemodi furor, à Deorum afflatu. Quod ſi incolumes deſiſtant, bono & pacato animo ſunt, tanquam Dijs initiati: at decolores, macilenti, & præ vulnerum doloribus infirmi longo tempore remanent.] Hæc ad eos de quibus agimus, impuros myſtas ſpectaſſe, perſpicuum eſt, & clariùs intelligetur ex mox ſubiungendis. Et verum quidem eſt, non omnes turpiſſimi



Digitized by Google

illius numinis miniſtros fuiſſe exectos, ſaltem omninò. Nam aliqui eorum, poſt infame miniſterium, conſueuiſſe mulieribus produntur, vt notat Elias Cretenſis ad orationem 3. Nazianzeni, & Nonnus in expoſitione Fabul. n. 4. De pleriſque tamen eorum, dubitare non licet, quin ad cultum falſi numinis ſe exſecarent; & aliqui non modò Dydimos, ſed etiam totam partem, qua viri erant, abſcinderent.

4. Adiuncta huius furoris, expreſſit Lucianus, ſub finem libri de Syria Dea; vbi primùm deſcribit panegyricos conuentus quotannis ad vrbem, in qua templum erat Syriæ Deæ, & ſacerdotum pileatorum omninò multorum accurſum; (inter quos ſummus vnus quotannis ſubrogatus, ſolúſque purpurea veſte & aurea tiara inſignis;) & aliorum præterea hominum ſacrorum ingenti multitudine aduentantium confluxum; tibicinum videlicet, & fiſtulatorum; & Gallorum, ac furentium mulierum. Deinde poſt hæc diffuſiùs recitata, ait; [ Diebus hiſce ſolemnibus, multitudo quidem cõgregatur: Galli autem frequentes, & ij quos dixi, homines ſacrati, peragunt ſacrificia, vulnerantúrque cubitis, & in terga à ſe mutuo verberantur. Multi autem aſtantes ipſis, tibijs accinunt, & tympana pulſant. Alij autem diuinitùs inſpirata ſacráque carmina cantant. Atque hoc opus extra ædem peragitur, neque ingrediuntur in ædem quicunque iſta faciunt. Hiſce diebus & Galli fiunt. Poſtquàm enim cæteri tibijs canunt & ſacrificia peragunt, ad multos alios interea furor iſte peruenit. Et multi qui ad ſpectaculum ſolummodò venerant, poſtea eadem fecere. Recenſeo autem quæ faciunt. Adoleſcens quicunque fortè ad hoc paratus venit, abiectis veſtibus magna voce in medium progreditur, atque enſem diſtringit *&c.* accepto autem eo, continuò ſeipſum ſecat, curritque per vrbem, & manibus ea quæ ſecuit, portat. In quamcumque autem domum hæc abijcit, ex ea & veſtem fœmineam, & ornatum muliebrem accipit. Atque hæc quidem in caſtrationibus faciunt.

5. De ijſdem furoribus, & muſculorum conciſione per gladios, & reliqui corporis conciſione per geſtamen horum Cybeleiorum proprium; hoc eſt, per flagra, explicatiſſimè Apul.

Digitized by Google

l. 9. Mileſ. E noſtris, attingit hos furores, Hieronimus Epiſt. 18. ad Marcellam, cum ait. [ In theatralibus ſcenis, vnus atque idem hiſtrio, nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem. ] Ad quem locum Marianus reijcit Eraſmum, qui cenſuerat *tremulam* dici Cybelem, præ ſenio eo quod eſſet anus effoeta & poſt deorum partum, corpore exhauſta & tremens. Verus enim illius tremoris ſenſus eſt, quod Cybele repræſentaretur furens præ rabie amoris. Nam & Feſtus, Cybelem denominatam ait ἀπὸ τοῦ κυβιςᾶν quod eſt tremulum in caput ſaltare ac ſe totum retrorſum, & hinc inde circumflectere, more furioſorum caput impetu vehementi rotantium. Κύβη enim ſignificat caput agitatum. Sícque Xenophon in ſympoſio, puellam ſaltatricem, ſolitam per pugiones in mucronem erectos illæſo capite præuolui, ait εἰς τὰ ξίφη κυβιςᾶν. Igitur Cybele furens & agitatiſſima præ amoris in Atyn concepti oeſtro repræſentabatur: Similíque modo Sacerdotes eius ac impuri myſtæ, æmulantes Deæ furorem, agebant fanaticos, quo habitu eos exhibebat multiformis hiſtrio, vt aiebat S. Hieronimus. Eoſdem horum propudioſorum inſanos furores, & mentis fremitus, ac corporis lacerationes, in myſtis Magnæ Deûm matris, cuius cultores infamia turpis inurit, notauit ſiuè Tertullianus, ſiuè Cyprianus; (nam vtrique adſcribitur,) autor Carminis ad Senatorem Apoſtatam, addens de eorum effœminatione, & veſtitu muliebri, ac molita voce, & leui inceſſu, qualis mulierum; nec reticens quomodò lapſatos tenerent extenſo pollice lumbos, & proprium mutarent vulgato crimine ſexum. Sícque complebatur in illis quod Poëta in Ibim imprecabatur, *Déque viro fias, nec fœmina, nec vir, vt Atys : Et quatias molli tympano rauca manu.* Mollis enim manus, dicta eſt ob imitationem habitus fœminei, de qua Auguſtinus 7. Ciuit. c. 26. Et quanquam ad eum Ouidij locum Boeſſius, molle exponit pathicos, ( quo ſenſu eam vocem præter Naſonem vſurpaſſe Plautum quoque & Phoedrum notat, ( tamen planius eſt, molles à mollitudine, inde *mulieris* nomen deflexum volunt, dictos arbitrari, quia affectabant muliebrem mollitudinem, voce, inceſſu, & toto ha-

Digitized by Google

bitu. Factum id Carthagine ait D. Auguſtinus cap. 26. Sed factum etiam. [ In Ciuitate Romana, in vrbe Eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis martyres coronarant.] Verba ſunt Saluiani 7. de Prouid. Supra omnes probroſos & infames propudioſus Heliogabalus, muliebri etiam nomine, ( vt ait Aurelius Victor, ) *Baßianam* ſe pro *Baßiano* dici voluit, *abſciſſiſque genitalibus, Matri ſe magnæ ſacrauit.* Per quæ explicatiſſimè dicta, illuſtranda ſunt quæ ſic de eo dixit Lampridius. [ Iactauit caput inter præciſos fanaticos, & genitalia ſibi deuinxit, & omnia fecit quæ Galli facere ſolent, ablatúmque ſanctum numen; (*ſignum ſcilicet, vel ſtatuam Matris Deûm,*) in penetrale Dei ſui tranſtulit.] Hinc porrò Zeno Veron. ſerm. de circumciſione, demitti iubet criſtas à Iudæis de conciſione ſua gloriantibus. [ Circumciſio enim ( vt Zeno ait, ) eſt in damnum rotundi vulneris, ferro circulata cicatrix. Quam ſi Iudæus æſtimat gloriam, vt de cæteris taceam, maior eſt eius, qui in honorem Deæ ſuæ, anus turpis atque amatiuis, non paruam cutem eiuſdem membri, ſed ipſum membrum radicitùs abſciſſum, myſterijs turpioribus immolauit; illa videlicet ratione, quia Iudæus poſt ſacramentum per hanc partem peccare poteſt; ille autem deinceps per hanc partem peccare iam non poteſt.] Vtique externo actu completo, atque perfecto.

6. His ſatis inſinuata videtur Sacerdotum illorum exſectio; quamuis neque prætereunda ſunt quæ apud Iuuenalem Satyra 6. leguntur. Ait enim.

*Ecce furentis*
*Bellonæ, matríſque Deûm, chorus intrat & ingens*
*Semiuir obſcæno facies reuerenda minori,*
*Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta;*
*Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt*
*Plebeïa, & Phrygia veſtitur bucca tiara.*

*Ruptam teſtam* vocat, quam Plin. l. 35. c. 12. *Samiam* dixit, id eſt acutam petram, vel teſtam; vnde *Samiare*, Nonio idem quod *acuere.* Plerunque tamen, ferrum adhibitum legimus. *Phrygios cultros* vocat Claudianus l. 1. in Eutrop. ſic eum alloquens.

Digitized by Google

*Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybellem;*
*Rauca Celanaos ad tympana diſce furores;*
*Cymbala ferre licet, pectúſque illidere pinu;*
*Inguinis & reliquum Phrygijs abſcindere cultris.*

7. Fortaſſis ſicut circuncisio, in populo Dei, interdum ferro, aliás ſilice præacuto adhibito peragebatur, vt oſtenditur Tract. de Stig. ſect. 1. cap. 1. ita Satan ijſdem inſtrumentis profanam horum ſuorum Myſtarum exſectionem peragi voluit. Quod autem *Phrygios cultros* & *Phrygiam tiaram*, agendo de ſpurcis hiſce miniſtris, recenſeri vidimus, monſtrat cultum Matris Deûm, & hæc triſtia ſpadonum ſacra, non in Syria modò ſed etiam in Phrygia fuiſſe frequentata. Nam ex Phrygia manaſſe nomen *Gallorum*, multi probabiliter aſſerunt; tametſi S. Hieronimus in c. 4. Oſeæ, putat impuriſſimos illos Rheæ miniſtros, à Romanis denominatos eſſe *Gallos*, ad dehoneſtationem nationis, quondam Romam prædatæ, atque adeò ipſis Romanis exoſæ: quod gentis ſuæ probrum ſtudiosè amolitur Ioannes Fileſac lib. 1. Electorum ſacrorum cap. XI. confutato Hieronimo, ſed ſatis inaniter. Caſaubonus item Sectarius Gallus, exponens Lampridij Heliogabalum, negat vocem *Gallus*, in hoc negotio ad gentem ſuam pertinere: notátque, eam vocem, cum de his agitur, non debere litera initiali maiuſcula exarari, cum ſit vox Aſiatica ſignificans *exectum*. At hoc ipſum fuerat monſtrandum; vocem *Gallus* non ab aliquo populo, vel fluuio, vbi ſacra impura per exectos obirentur; ductam eſſe; quod magnus iſte ludi-magiſter non oſtendit. Retinenda ergò eſt protrita exaratio vocis *Gallus* per G. maiuſculum, & admittenda recepta iuſdem vocis deriuatio ex loco petita. Eſto, probabile ſit (vt dixi,) quod Fileſacus cum alijs contendit, dictos *Gallorum* nomine hos poppas, non à Gallia noſtrate, ſed à regione Phrygiæ Galatia, in qua primùm hic ritus inualuit. Memorat eam regionem Strabo l. 12. Alij cum Plinio lib. 5. c. vltimo, & lib. 10. c. 49. deriuant *Galli* nomen, à Gallo Phrygiæ fluuio. Ita ex Feſto Gyraldus Syntag. 4. dicens, qui ex eo fluuio bibebant, illicò actos in furorem, & ſibi virum ademiſſe in honorem Rheæ. Et erat ſanè in Phrygia apud vrbem Peſſinun-

Digitized by Google

tem, celeberrimus Cybeles cultus per ſemiuiros, vnde perlatum Romam ſaxum, magna pompa, feſtúmque veris principio celebratum, vt Herodianus in Commodo recitat, & attigit S. Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. cap. 4. & 5.

8. Horum Gallorum Antiſtitis, Archigalli meminit cum ſcommate Tertullianus lib. de reſurr. car. c. 12. & in Apolog. cap. 25. Et quanquam turpis hic Antiſtès, & qui illi ſuberant Galli; adigente exectione profitebantur caſtimoniam, præſertim tempore ſacri ritus, vt habetur in Carmine ad Senatorem Apoſtatam; erant tamen ſpurciſſimi. Nam Lucianus lib. de Syria Dea, expoſita fæda conſuetudine Stratonices cum Combabo iam execto, ea infami, conſolationem (vt ait,) captante ex infæcundo commercio; æmulatos id fædè Gallos prodidit, quamuis Deæ inſeruirent, quæ mater ſimul & virgo habebatur de quo anceps immeritò eſt Gyraldus, cum conſtet ex Iuliano Imperatore orat. 5. & ex D. Auguſtino cap. illo 4. ita tuliſſe fabulam:) Et quod horrendum vel relatu eſt, ijdem turpes Poppæ, alia faciebant & patiebantur execranda. Neque verò nefarij hi myſtæ, quaſi per accidens impuriſſimi erant; ſed planè ex inſtituto, vt ferunt illa Iuſtini verba in Apologia ad Antoninum, varia eius æui dedecora inter Gentiles frequentia, exprobrantis. [ Nec deſunt qui filiarum lenones ſunt, & coniugum; aut caſtrantur vt profiteantur impudicitiam, & matris Deûm ſacris ſe initiant.] Autor item quæſtionum ex vtroque mixtim, *in* 115. (Tomo 4. Auguſtini,) impugnans fatum; [Perſæ (inquit,) mulierum more inaures habent; quod híc (*Romæ*) inhoneſtum & illicitum eſt. Quia autem & hic fieri poſſit, atteſtantur Antiſtites Matris quæ appellatur magna. (Et reuera magna fuit, ſed meretrix;) ſed in eo diſtat, quod iſti, cinædi ſunt, illi viri. Et quid dicemus? In omni orbe terrarum, hi ſoli hoc fato naſcuntur, vt abſciſſi in mulieres tranſformentur? Et toto mundo iſti pauculi inueniuntur, quos conſtat minis circumueniri & promiſſis præmijs ad hunc dolorem, & dedecus cogi?] Et q. 114. [Lex noſtra quos ſtultos vocant, Antiſtites & miniſtros, idoneos ſine crimine, ſanctos, & irreprehenſibiles præcipit ordinari. E contra autem Paganorum



Digitized by Google

traditio, Antiſtites & Miniſtros idoneos ſibi eſſe non putat poſſe, niſi ex viris transfigurentur in fœminas, vt licenter & publicè muliebria patiantur, & diſcuſſis in aqua inhoneſtè crinibus, mollem quaſſatámque vocem, & turpem emittant. Quod ſi publicè facerent, ab omni populo lapidarentur &c. Ecce quibus miniſtris ſiuè Magiſtris, Pagani *prudentiæ* ſibi nomen aſciſcunt, cum non ſolùm non prudentiæ ſit, ſed etiam criminis. Obſcœna enim & probroſa diligere, funeſtum eſt. Illud autem quale eſt, quod in ſpelæo, velatis oculis illuduntur? Ne enim horreant, turpiter dehoneſtari ſe, oculis illhic velantur.]

9. Crudelis hæc turpitudo, pallio religionis obducta, latum campum aperuit Patribus, ad exagitandum numen adeò propudioſum, vnde cætera ortum acceperunt; quia verè, Terra erat Deorum omnium mater, vt Iulius Firm. l. de Error. prof. c. 3. & S. Auguſtinus l. 6. Ciu. c. 8. obiecerunt. In ſpurcitiam ergò ſacrorum magnæ matris, fusè conclamat Arnobius lib. 5. repetito eorum initio ab inceſto ortu Atydis, eiúſque iam grandis & furore correpti, exſectione per ſeipſum, admota teſtula. Aliter infamem originem ſacrorum illorum, exponit Minutius in Octauio, ſic dicens. [Cybele Dindyma, ( pudet dicere, ) quæ adulterum ſuum infœliciter placitum, quoniam & ipſa deformis, & vetula, & multorum Deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, execuit, vt Deum, (ſcilicet,) faceret Eunuchum. Propter hanc fabulam, Galli eam & ſemiuiri ſui corporis ſupplicio colunt. Hæc iam non ſunt ſacra, tormēta ſunt.] Prudentius Arnobio potiùs videtur aſtipulatus, ſic inducens loquentem S. Romanum.

*An ad Cybellis ibo lucum pineum?*
*Puer ſed obſtat Gallus ob libidinem*
*Per triſte vulnus, perque ſectum dedecus,*
*Ab impudica tutus amplexu Deæ,*
*Per multa matri ſacra plorandus ſpado.*

Quæcunque verò fuerit origo prima turpium ſimul ac crudelium ſacrorum Matris Deûm, meritiſſimò ea deteſtatur præter antedictos Lactantius lib. 5. cap. 9. exprobrans Ethnicis, quod



Digitized by Google

eſſent inter eos, [ qui ſanctiſſimam corporis ſui partem, contra fas omne polluerent & profanarent; qui virilia ſua ferro meterent, & quod eſt ſceleratius, vt eſſent religionis Antiſtites. ] id eſt, vt Sacrdotum functionem obirent vt idem Lactantius l. 1. c. 21. his verbis ait. [ In ſacris Matris Deûm, homines ſuis ipſi virilibus litant. Amputato enim ſexu, nec viros ſe, nec fœminas faciunt. ]

10. Inſuper S. Auguſtinus 2. Ciuit. c. 7. & l. 7. c. 24. & 26. æmulatus modum loquendi Minutij, in hæc ( vt ait, ) ſemiuirorum iam non ſacra, ſed tormenta, ſtylum exerit, grauiter damnans, quicquid in illis vel crudele, vel turpe, vel turpiter crudele, vel crudeliter turpe celebrabatur. Prudentius quoque ex perſona S. Romani ſic canit.

*Sunt ſacra quandò voſmetipſi exciditis;*
*Votiuus & cum membra detruncat dolor.*
*Cultrum in lacertos exerit fanaticus,*
*Sectiſque matrem brachijs placat Deam;*
*Furere ac rotari, ius putatur myſticum:*
*Parta ad ſecandum dextera fertur impia*
*Cælum meretur vulnerum crudelitas*
*Aſt hic metenda dedicat genitalia*
*Numen reciſo mitigans ab inguine*
*Offert pudendum ſemiuir donum Deæ*
*Illam reuulſa maſculini germinis,*
*Vena effluenti paſcit auctum ſanguine.*
*Vterque ſexus, ſanctitati diſplicet*
*Medium retentat inter alternum genus:*
*Mas eſſe ceſſat ille, nec fit fœmina.*
*Fælix Deorum mater, imberbes ſibi*
*Parat Miniſtros, leuibus nouaculis.*

11. Parum eſt, Chriſtianos Doctores, dira hæc & fœda ſacra eſſe inſectatos. Fecere id quoque cordatiores Ethnici, vt Seneca l. de ſuperſtitione, cuius fragmentum è longiore crudelium rituum inſectatione, decerpſit S. Auguſtinus 6. Ciuit. c. x. Præmiſſis enim verbis illis, [ Ille viriles ſibi partes amputat. ] ſubdit Seneca. [ Vbi iratos Deos timent, qui ſic propitios me-

Digitized by Google

rentur? Dij autem nullo debent coli genere, ſi & hoc volunt. Tantus eſt turbatæ mentis, & ſedibus ſuis pulſæ furor, vt ſic Dij placentur, quemadmodùm ne homines quidem ſæuiunt teterrimi, & in fabulas traditi crudelitatis. Tyranni lacerauerunt aliquorum membra, neminem lacerare iuſſerunt. In regiæ libidinis voluptatem, caſtrati ſunt quidam: ſed nemo ſibi ne vir eſſet, iubente Domino manus intulit. Se ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Si cui intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur, inueniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, vt nemo fuerit dubitaturus, furere eos ſi cum paucioribus furerent. Nunc ſanitatis patrocinium, inſanientium turba eſt.] En Ethnicum, hæc ſuorum ſacra impura & dira auerſantem.

12. Alij Ethnici, de hac irreligioſa religione erubeſcentes, conati ſunt traducere ad ſenſus myſticos, exectionem Gallorum in honorem Cybeles. Nam Varro, & ex eo S. Iſidorus l. 8. c. vlt. cenſuerunt, ea miſerorum exectione adumbratum, culturam terræ eſſe neceſſariam ſemine egentibus. Quam allegoriam refert & impugnat Iulius Firmicus l. de Error. prof. c. 3. eandémque adducit quoque, & inſequitur D. Auguſtinus l. 7. Ciuit. c. 24. Græci ibidem c. 25. diſcuſſi & nominatim Porphyrius apud Euſebium lib. 3. de præp. dixerunt, innui vernalem faciem terræ, qua flos ante fructum decidit. Lucretius lib. 2. attributos Magnæ matri Gallos exectos, aliter exponit.

*Gallos attribuunt, quia numen qui violarint*
*Matris & ingrati genitoribus inuenti ſunt;*
*Significare volunt, indignos eſſe putandos,*
*Viuam progeniem qui in oras luminis edant.*

Iulianus orat. 5. myſterium caſtrationis Atydis refert ad vim genitalem ab aſtris delapſam, per diuinam prouidentiam certis finibus coërcitam. Videndus in eandem ſententiã Salluſtius Philoſophus l. de Dijs & mundo num. 4. *pag.* 45. Verùm hæ allegoriæ familiares cordatioribus Ethnicis circa ritus de quibus verecuudabantur, vt latè proſequor in Prologo Natur. Theologiæ à n. 67. potuere quidem aliquandò vſum aliquem habere ad myſteria ſpatio quopiam obuoluenda, ne retecta



Digitized by Google

vileſcerent; Sacrilegæ tamen impuritati & crudelitati Gallorum purgandæ, non ſunt accommodatæ: & latè in hoc negotio repelluntur ab Arnobio l. 5. *ad finem*: Cum quo l. 1. n. 23. eſt quod agnoſcamus, quàm ſimus obſtricti Chriſto Domino, qui abductos ab obſcœniſſima tam corruptorum numinum ſeruitute, traduxit ad libertatem gloriæ, & nitoris filiorum Dei, vt ſeruiremus in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, abactis tam tetris ſpurcitijs religioſum cultum ementientibus. [ Defleamus fratres, ( aiebat Chryſologus ſerm. 155.) & eos qui talia ſunt ſecuti, & nos euaſiſſe talia cœlitùs gaudeamus. ]

13. Satis de exſectione Gentilium ex falſa religione, & veriſſima ac inſaniæ pleniſſima ſuperſtitione. Inter Chriſtianos autem, nemo adeò à ſe abalienatus fuerit, vt putet ſe obſequium præſtare Deo, ſe exſecando; ijs nunc dimiſſis, qui ad continentiæ indemnitatē abſcinduntur, de quibus poſtea. Vt autem quis directè ſpectans cultum Dei, exſectionem amplectatur, non videtur poſſe venire in mentem Chriſtiani: nec video, quorsùm Couarruuias ad Clem. *ſi furioſus*, in principio num. 6. ſeriò agat in aſſerentes, exectionem inter Chriſtianos, poſſe aſſumi ad cultum numinis. Nam etiamſi flagellatio ad ſanguinis vſque profuſionem, poſſit vſurpari ad cultum & placationem numinis, quia eſt actus pœnitentiæ, modò fiat legitimè, & non vt ab illis virgidemijs in quos conclamat Gretſerus l. 2. de diſciplinis c. xI. nec pauca in eoſdem adducta ſunt parte I. Heterocl. ſ. 2. p. 81. n. 18. Tamen reciſio membrorum, cum ſit Deo exoſa, non poteſt ex religioſo afflatu fieri. Neque item capio, quomodò Simon Maiolus lib. 1. de irregularit. cap. 15. num. 3. admittat, poſſe aliquem zelo fidei abſcindere ſibi virilitatem, & in eo euentu poſſe diſpenſari ab Epiſcopo vt miniſtret in ſuſceptis; etiamſi abſciſſio facta abſque zelo fidei, quamuis occultà, ſit à ſolo Pontifice diſpenſabilis. Fateor me non videre, quomodò abſciſſio poſſit ab aliquo fieri ex zelo fidei, ſi ſeponatur exſectio ob tutelam caſtitatis, vt nunc eam ſepono, quia reuera ea exſectio non fit ex zelo fidei, ſed ex zelo continentiæ, ſtatim diſcutiendo.

Digitized by Google

§. 2. *Turpitudo exectionis ad continentiæ indemnitatem.*

1. Quanta ſint amoris carnalis mala; & quàm multi corrumpente omni carne viam ſuam, à Deo auerſi ſint in æternum ſuum exitium, monſtrauit Noëtica eluuio, perdens totum propè orbem terrarum. Quotidiana experimenta idem faciunt teſtatiſſimum. Diſputatũ latè eſt de his damnis in Tractatione de virtutibus. Breuiter autem virulentiam huius amoris, complexus eſt vir Dei ſolo nomine Idiota, Raymundus Iordani, contemplatione vltima de amore, vbi ait de carnali amore. [ Inſatiabilis eſt, quia extinctus redaccenditur, & poſt copiam rursùs inops fit, animumque virilem effœminat; & propter paſſionem quam ſuſtinet, nihil ſinit aliud cogitare, quia rationis obliuio eſt, & inſaniæ eſt proximus. Talis peruerſus amor turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit, à magnis & altiſſimis cogitationibus ad paruas & humillimas attrahit, iracundos & temerarios facit. Inſuper qui tali amore coniungitur, tentationibus cõtinuis ſubiacet. Talis amor eſt laqueus animæ, diſcrimen vitæ, mors ſuauis, blanda percuſſio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum ſpontaneum, ſapida iugulatio, ac omnium rerum calamitas *&c.* Talis amor, eſt veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna, noxium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, mali natura boni colore depicta, continua ſollicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, domus tempeſtatis, ſolitudinis & orationis impedimentum, continentis viri naufragium, adulterii vas, pernicioſum prælium, pondus grauiſſimum. ] Nihil hic per auxeſim dictum eſſe, fatebitur, qui ſcripturas, & ſacros Doctores, ac etiam profanos, in hanc rem à Michaele Medina l. 4. de ſacro. hom. contin. controuerſ. 4. adunatos, conſuluerit.

2. Tanta mala à ſe auertere ſolliciti quidam, & iam olim in Ethniciſmo, & poſtea in lege Chriſtiana, autore Satana, exſectionem adhibere, induxerunt in mentem: quaſi ea adhibita, fluſtrum & malacia aduersùs irrequietum cupiditatis corporeæ malum conſequeretur. Diabolo autori hoc inuentum adſcribit

S. Baſilius lib. de vera Virginit. *ſub finem.* [Conſtat profectò, (inquit,) dæmonis artem & inuentionem, id opus eſſe. Non quos prior ætas apud Gentiles prodidit, eos modò apud nos quoque prodijſſe, monſtratum eſt; caſtitatiſque nomen, & tunc & apud illos, & modò apud nos, huiuſmodi abſciſſionem contra naturæ iura inueniſſe. Eſt enim vehementer aſtutus is qui fidem noſtram in Dominum circumuenire & fallere nititur, & ſub honeſti ſpecie in vitia inſerere, maligniſſimè quærit. Quod ipſum ex præteritis animaduertere in promptu eſt. Sicut enim per quæ putabant ſe Deum cognoſcere, per ea maximè, Gentiles eum ignorare fecit; (mundus enim opificis ſui index propoſitus cum ſit; illi à viſibilium ſpecie non vt decebat ad conditorem ſeſe erexerunt, neque eius pulchritudinem glorificauerunt, ſed coluerunt, & ſeruierunt potiùs creaturæ quàm creatori; ) & ſicut vnde oportebat Chriſtum agnoſcere, inde inprimis illum ignorari molitus eſt; de ſcripturis ſcilicet prædicantibus Chriſtum, ignorationem eius hæreticis intelligentijs callidus ingerens; ſicuti idem Chriſti fide vbique conſpicua incredulitatem ac negationem eius, malignè inſerere nititur: ita & ſub myſticæ abſciſſionis nomine, caſtitatiſque velamine, impudicos atque impuros efficit.] Nimirùm dum fiducia ſuſceptæ exſectionis, licentiùs agere cum altero ſexu ſuadet: vnde corporis & animæ inquinatio miſerè in pleriſque eſt conſecuta; non obſtante excluſione perfecti vſus nuptiarum,ob interpoſitam exſectionem. Sed & alia pleraque grauia mala per exſectionem inferri, proximè dicemus, & latè proſequitur Abul. in c. 5. Matthæi q. 250.

3. Primi quos Satanas occaſione verborum Chriſti laudantis ſui ipſius caſtrationem implanauit, vt præſidium continentiæ ab exſectione peterent, produntur fuiſſe Valeſij, quorum exortum Prateolus V. *Valeſij*, conſignat circa annum Chriſti 198. Victore Eccleſiam, Seuero autem imperium moderante. Quanquam S. Epiphanius hæreſ. 58. & eius breuiator S. Auguſtinus in hæreſum indiculo, quandò primùm exorti ſint Valeſii, & quo autore prodierint, ignorare ſe fatentur. Tantùm ex eo quod nomen ſit Arabicum, ſuſpicatur S. Epiphanius, eos à

Digitized by Google

quodam Arabe initium ſumpſiſſe. Certum verò eſt, Valeſios præter alia quæ de eis referuntur, ſenſiſſe ad ſatisfaciendum verbis Chriſti probantis caſtrationem propter regnum cœlorum, & vt poſſent puri perſtare, & à concupiſcentia indemnes; execuiſſe ſuos, & qua erant in alios (vt volebant,) charitate, etiam hoſpites; aut dicendo perſuaſos, aut vi adactos, execuiſſe. Priuſquàm verò exectio peracta fuiſſet, iubebant ſuos abſtinere eſu animatorum omnium. Poſt exectionem verò, quod iam eos in tuto locatos, & extra ruinæ à carne periculum conſtitutos dicerent, omnium illis eduliorum vſum liberum eſſe concedebant. Concupiſcentia enim carnis, nullo magis ignitabulo acriùs ſuccenditur, quàm eſcis illis & potibus, quibus veluti naptha & pice ad ebulliendum fornax Babylonica concitatur, iuxta creditum Cyprianum ſerm. de Circumciſione. Itaque ſubſidium continentiæ petiere Valeſij à caſtratione.

4. In hoc genere celeberrimum eſt, quod ab Origene tunc iuniore factum prodit Euſebius 6. hiſtor. cap. 8. Vt enim vnus quidam in vita S. Antonij Vlyſſiponenſis, pedem ſibi abſcidit à quo in matrem impacto, ſcandalizatum ſe aiebat, peruertens Chriſti oraculum, de membro, id eſt homine coniunctiſſimo à ſe abſcindendo, ſi ſcandalum inferret: Itaque Origenes, laudatam à Chriſto caſtrationem propter regnum cœlorum, adhibitam ſibi voluit; ſiuè cicutæ ſorbitione, vt habet Zonaras *in Seuero*; ſiuè admoto ferro opera celeberrimi ea ætate Medici cui nomen Eliæ ad id ab Origene adhibiti; quod alij ab ipſomet Origene proprijs manibus factum prodiderunt, vt refert Nicetas l. 4. theſauri, in hæreſi trigeſima prima vbi complures modos quibus iactatum eſt peractam eſſe Origenis caſtrationem, ſigillatim recenſet. Non fuit itaque Origenes autor hæreſeos Valeſiorum, vt ſignificare videtur Euſebius, iuxta Baronium anno 230. ſed facta Valeſiorum æmulatus eſt. Ob ignorantiam verò inuincibilem non peccaſſe Origenem in eo facto, contendit Petrus Alloix lib. 1. Origenis defenſi cap. 6. & lib. 4. q. 3. §. 1. addens inſuper, illum inſigniter meruiſſe in ea re; & tantam eius generoſitatem admirationi fuiſſe De-

Digitized by Google

metrio tunc Epiſcopo Alexandrino, vt narrat Euſebius 6. hiſtor. cap. 7. Canon verò Nicænus interdicens ſuimetipſius exectione, non potuit Origenem tanto anteriorem, auocare ab eo conſilio; vt neque Canon. 7. Concilij Arelatenſis ſecundi, ſubſecuti Nicænam Synodum. Vnde cum nullus extaret Canon vetans huiuſmodi auſum; (nam qui dicuntur *canones Apoſtolorum*, inter quos aliqui interdicunt abſciſione, latuerunt veteres;) non videtur Origenes præuaricatus in legem, quæ nulla erat. Mandatum autem latum Deuter. 23. de Eunuchis ab Eccleſia arcendis, non vrget Chriſtianos; vt de præcepto quoſcunque alios mutilatos arcente, dixit Timothæus Antiochenus vir doctiſſimus, ſcriptor Epiſtolæ Canonicæ, ac teſte Theodoſio Epiſtola ad Optatum Auguſtalem, omnium Epiſcoporum ſuſceptione probatus. Quàm multi verò cum laude ſe mutilarunt ex zelo virtutis? vt iuuenis qui ſibi linguam abſcidit & expuit in ſcortum, vt narrat S. Hieronimus in Paulo; & puella quæ ſtudio caſtitatis ſe exoculauit, & auulſos oculos ad procum tranſmiſit, vt narrat Moſchus in prato cap. 60. S. Eba cum ſuis puellis, ſe denaſauit, vt ſcribit Baronius anno 870. Nec diſſimilia ſtudio Virginitatis tuendæ fecere aliæ ſanctæ apud Spinellum tract. de Virginibus num. 46. & apud Theophilum Bernardinum l. 7. de perſeu. c. 7. Itaque Origenes ex ſimili virtutis ſtudio, bona fide, non ſubodoratus in ſuo facto labem vllam, videtur ſe mutilaſſe abſque noxa, vt quidem adductus Origenis defenſor opinatur.

5. Nolim calamum quaſſatum confringere, & bonam fidem ac ignorantiam inuincibilem, ex qua Origenes operatus ſupponitur, anxiè conuellere. Quod tamen Canones Apoſtolorum, quod ab eo ignoratos volunt, tunc laterent; quaſi poſtea ſint conficti, admittere non poſſum. Nam in Synodo 2. can. 8. canon caſtratione interdicens, agnoſcitur eſſe Apoſtolorum. Nec poteſt negari, quin Patres paſſim in Origenem hac ex cauſa ſint concitati: non modò Demetrius Alexandrinus, ex demiratore factus vituperator omnes limites prætergreſſus, vt ait S. Hieronimus l. de Script. *in Origene*, & zelo Dei non ſecundùm ſcientiam abreptus, vt idem ait Epiſto. 59. ſed etiam alij

alij plerique. Nam Demetrij ſenſus videtur Origenem minùs grauare, quia vel inuidia actus eſt ob ingentem Origenis famam, vt Euſebius 6. hiſtor. c. 6. ſignificat, vel ob promotionem eius iam execti in Sacerdotem ab alieno Antiſtite, turbas illas excitauit. Cæteri autem occaſione ſolius exectionis in eum conclamarunt. Denique Chriſti oraculum quo laudantur caſtrantes ſe, non poteſt Origenem tegere. Nam ipſemet Origenes tract. 7. in Matth. (ſi tamen ipſe vt ſupra attigi, cum auctor Tractatus quinti manifeſtè ſe latinum dicat,) optimè his verbis mentem Chriſti expreſſit. [Sunt qui ſuſcipiunt ſermonem Dei viuum & efficacem, ac penetrabiliorem omni gladio ancipiti, & gladium ſpiritus vt ait Apoſtolus; & præcidunt concupiſcentiam ſuam, corpus non tangentes: Et hoc faciunt, non propter timorem humanum; ſed propter ſolam ſpem regni cœleſtis. Et hi ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Magna ergò res eſt, propter regnum Dei, Eunuchum fieri; quod non capiunt omnes, ſed quibus datum eſt. Datum eſt autem omnibus, qui ſibi gladium huiuſmodi à Deo poſtulant.] Præmittitur verò ibidem, exectores corporeos ſui ipſorum, propter illud Chriſti oraculum, [obieciſſe ſe opprobrijs & confuſionibus, non ſolùm apud alienos fidei, ſed etiam apud eos qui ignorantiæ hominum ignoſcere ſolent.] Quæ ſi ſunt Origenis, pœnitentiam eius iam viri, de iuuenili facto præ ſe ferunt.

6. Ipſum ſanè factum, (quicquid ſit de excuſationibus petitis ex conditionibus operantis,) turpe ac fœdum eſt; nec dubium, quin captare indemnitatem à tentationibus carnis per exſectionem, ſit res nefaria, vt breuiter attigit Gerſo 2. p. Dialo. de cælibatu, Actu 3. *in fine*, & latè tradit Gloſſa in quæſtione ſuper prologum Marci *ad finem*. Et rectè. Neque enim membra inferunt homini perniciem, ſed voluntas propria. Vnde Leſſius l. 2. de Virtut. c. 9. n. 98. tacitam blaſphemiam agnoſcit in exectione ad hunc finem. Videtur enim qui hoc facit, innuere, Deum prauè inſtituiſſe naturam noſtram. Et quidem ob noſtræ carnis honorem, ſtigmata & inciſiones carnis quibus Gentiles vtebantur, prohibuit, vt notat Heſy-

S

chius in c. 19. Leuit. *pag.* 455. quanto grauiùs ergo fert operis ſui quod perfecit, dehoneſtationem per exſectionem? Malo hoc incommodum verbis S. Chryſoſtomi vrgere. Is in caput 5. ad Galat. ad illud *vtinam abſcindantur qui nos conturbant*, interpretatus hanc abſciſſionem de abſciſſione corporea, quam Apoſtolus imprecatus ſit molientibus leuiculam illius membri oblæſionem per circumciſionem Catechumenis inferre, exclamat contentiſſimè. [ Vbi ſunt nunc, qui ſeipſos audent euirare; ſimul & Apoſtolicam imprecationem ſibi accerſentes, & Dei opificium accuſantes, & à Manichæis, ſtantes; Nam illi quidem, aiunt corpus inſidioſum eſſe, malæque materiæ. Hi verò factis ſuis, crudelibus illis opinionibus præbent anſam, dum membrum amputant, velut inſidians & inimicum. Itaque multò magis oportebat excæcare oculos: per oculos enim in animam deſcendit concupiſcentia. Verùm nec oculus, nec vllum aliud membrum eſt in culpa, ſed ſola praua animi inductio. Quod ſi non ſuſtines, cur non linguam ob blaſphemias, cur non & manus ob rapinas, cur non & pedes ad malitiam currentes, denique cur non totum reſecas corpus? Nam & aures delinitæ tibia, frequenter effœminauerunt animam; & nares accepto ſuaui odore impoſuerunt menti, & ad voluptatem lympharunt. Itaque circumcidamus omnia, & oculos, & manus, & aures. Verùm hæc, extremæ ſunt impietatis & Satanici conſilij. Tantùm oporteret corrigere inconditum mentis impetum; Iſti verò, ſua reſecant membra. Ita malus Dæmon, perinde quaſi errauerit opifex, perſuaſit, vt inſtrumenta perderent, ſemper gaudens cædibus.

7. Alio loco idem S. Chryſoſtomus, fati neceſſitatem ſtabiliri per Satanicum hoc abſciſſionis inuentum, confirmat, nimirùm hom. 64. in Matth. Expendens enim Chriſti conſilium in recenſendo triplici Eunuchorũ ordine, & quàm fœliciùs agatur cum Eunuchis ſpiritualibus, quàm cum natiuis ac factitijs prælocutus, addit. [ Non ſic amputatio membri, quemadmodùm rationis frænum; imò verò ſola ratio huiuſmodi fluctus comprimit, & in tranquillitatis portum, animum reducit. Idcircò igitur illos recenſuit, vt hos vehementiùs exhorta-

Digitized by Google

retur.: Niſi enim huc tenderet, ad quid aliorum feciſſet Eunuchorum mentionem? Quandò autem dicit, *qui ſeipſos caſtrauerunt*; non de abſciſſione membrorum dicit; ſed prauæ cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrum incîdit, maledictioni ſubiectus eſt, vt Paulus ait, *vtinam abſcindantur, qui nos conturbant*; neque iniuria. Nam cum homicidæ opus id eſſe videtur, & Dei creationi apertè detrahit; Manichæorum ora recludit, & eandem qui hoc agit iniquitatem committit, quàm qui apud gentes mutilantur. Membrorum enim inciſio, Diabolicæ fraudis ac inuentionis opus à principio fuit, vt operi diuino detraheretur, vt rationale animal læderetur, vt non voluntati, ſed membrorum naturæ, vniuerſave attributa, largas ſibi ad peccandum homines portas reſerarent, tanquam rationem non eſſent reddituri; ac ita dupliciter læderentur, tum quia membris ſuis carerent, tum quia voluntatis ad bona inclinatio reprimeretur. Quæ omnia ex lege Diaboli ſunt, qui ad ea quæ dicta ſunt, via quadam progrediens, perniciosſum illud fatalis rerum neceſſitatis dogma introduxit. Ita vndiquè datam nobis libertatem diuinitùs, vitia naturalia eſſe ſuadens, euellere conatur; multáque alia hinc peſtifera dogmata occultiùs ſeminat. Talia quippè ſunt Diaboli perniciosa venena: Quare oro atque obſecro, fugiatis talem iniquitatem. ]

8. Æquè Baſilius l. de vera Virginit. Diaboli hoc eſſe inuentum conteſtatus, addit [ ſi putant abſciſſionem genitalium, aliquid ad pudicitiam atque innocentiam animæ cōferre poſſe, eruant & oculos, plurima præter rationem ſalutis intuentes. Præcidant ſimul & manus & pedes, & aures penitùs obſtruant, ne quid horum peccati inſtrumentum fiat. At id quidem ſtultum & irrationabile eſt, & inſaniæ furoríſque pleniſſimum; peccati cauſam non aliter auferri poſſe arbitrati, niſi vndique circumcidantur membra omnia, ea ratione qua diximus; truncíque in morem omninò inutile iaceat corpus, quandò ſic etiam ex præcedentibus imaginibus deluſa mens peccet. Pœnitentes itaque, corpus ita manere vt effectum eſt, membra omnia caſtiſſimæ rationi moderanda (iuxta quod ſuperiùs diximus,) ac regenda tradamus, bonúmque opus noſtrum, non neceſſitatis, ſed voluntatis munus, faciamus. ]



Digitized by Google

Affine eſt S. Ambroſij argumentum, ſub finem libri de viduis, vbi præfatus de Eunuchis natis, & factis mox ab ortu, non eſſe in eis magnam continentiæ gratiam, quia voluntas facit, non infirmitas continentem, ſubdit; [ſed in iſtis nulla culpa, quia facti ignorantia. Non eadem cauſa eorum, qui in ſeipſos ferro vtuntur. Sunt enim qui virtutis loco ponunt, ferro culpam compeſcere. De quibus etſi noſtram nolumus proferre ſententiam, quamvis ſint ſtatuta maiorum; conſiderent tamen ne quis id ad profeſſionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam Ergò nemo militet, ne aliquandò vincatur, nec pedis vtatur obſequio, qui gradiendi periculum reformidat; nec oculi intendant officio, qui concupiſcentiæ timet lapſum. Sed quid prodeſt carnem abſcindere, cum etiam culpa ſit in ipſo aſpectu? Nam & qui viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo: & quæ ſimiliter virum in concupiſcentia viderit, adulteratur. Caſtos ergò, non infirmos eſſe nos conuenit; pudicos oculos habere, non debiles. Nemo igitur vt plerique arbitrantur, ſe debet abſcindere, ſed magis vincere. Victores enim recipit Eccleſia, non victos. Et quid argumentis opus, cum præſto ſit Apoſtolici forma præſcripti? ſic enim habet. *vtinam & abſcindantur qui volunt nos circumcidi.* Cur enim coronæ occaſione, & virtutis vſus præcipitur homini, qui ad laudem natus eſt, ad victoriam præparatus eſt, qui ipſe priùs virtute animi caſtrare ſe poſſit? ſunt enim ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, &c. Et ideò præmiis virtutem prouocauit, non infirmitatem vinculis alligauit. ] En quo loco habeant grauiſſimi Patres, exſectionem, ſpe indemnitatis à carnis rebellione.

10. Amat nimirùm Satan deformationem hanc diuini operis ex ſpecioſo fine factam, vt accedente ad eam iniuſtitiam in Deum, ſæuitia hominis in ſeipſum, cumulentur iniquitates, & auctior ſit offenſa numinis. Continetur enim hac truncatione ſui ipſius, manifeſta iniuſtitia; quia diſponit homo de corpore ſuo, abſque poteſtate. Nec bonum quod ei iniuſtitiæ prætexitur, (indemnitas ſcilicet ab incentiuis peccandi, ) purgat eam maculam; quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; præ-

Digitized by Google

ſertim cum bona illa poſſunt alia via honeſta & labis experte captari, vt hic contingit, ſuppetentibus tam multis aliis continentiæ tuendæ præſidiis, quamuis hoc ferale abiiciatur; In quo eſt apertum diſcrimẽ inter truncationes aliquas membrorum quandoque vſurpatas à SS. mulieribus ad pudicitiæ indemnitatem, V.G. in Monaſterio Edeſſeno, capta à gentibus ciuitate, videntes ſanctimoniales quantum incurrerent pudoris diſcrimen à vi impiorum; poſt negotij diſcuſſionem, ſtatuerunt, oculum ſibi ſingulæ vnum eruere & naſum cum ſuperiori labro abſcindere, ne corporis formoſitas eſſet impiis illecebra ad ſcelus. Et ita fecerunt, vt refert Anonymus l. de tranſlationibus S. Mamantis Cap. 4. Extat in Bibliotheca Floriac. in pari diſcrimine S. Eta, cum ſubditis ſibi ſacris virginibus, ſe denaſauit, vt eſt apud Baronium anno 870. Sed & S. Oda, cum vrgeretur ad nuptias contra votum; & vim timeret inferendam, quæ reuera inſtabat, naſo præciſo ſe dehoneſtauit, quod Philippus Abbas in eius Beatæ Actis, effuſè celebrat: addens alia exempla, in quibus ne vitæ quidem eſt parcitum, ad caſtitatis tuitionem. Hęc dico longè differre à re in qua verſamur: quia hic ſuppetunt aliæ commodæ viæ elabendi, & diſcrimen quod timetur declinandi, præſertim oratio & vſus frequens ſacramentorum. In illis autem aliis euentibus, vis externa iuſtum metum faciebat; quo impendente, & præſertim aſpirante ſpiritu Sancto ad generoſum hoc remedium, non minùs fas fuit naſum abſcindere, vel oculum eruere, quàm præſcindere manum alligatam ne ignis corpus vniuerſum depaſcatur, quod ſupra monſtrauimus licitum eſſe. Eſto violatio pudicitiæ per vim externam nolenti illatam, non ſit apud Deum probroſa mulieri, ſi abſit conſenſus, vt diſertè habet S. Auguſtinus l. 1. Ciuit. 18. agens de ſanctis fœminis furore barbarico oppreſſis: Nec videtur diſſentire S. Leo adductus c. *illa autem* 32. q. 5. quamvis autor eſt, vt ſic inquinatæ ob externam perpeſſionem, non aſpirent ad humana decora virginum, corpore illibatarum. Nihilominus enim fatetur, potuiſſe carnis corruptione, mentem inuitam non pollui. Hoc igitur ratum eſt, ſepoſito conſenſu abeſſe peccatum: Tamen diſcrimen extorquendi con-

Digitized by Google

ſenſum, in tanta commercij corporei flagrantia, eſt freqnen, tiſsimum, & cuiuis meritò extimeſcendum. Præterquàm quod ipſa per ſe corporis integritas, quamuis abſque vllo conſenſu proprio perdenda, magnum bonum eſt, quod meritò quis retinendum cenſere poſſit, partis ad vitam non neceſſariæ truncatione; ſi alia via non ſuppetat bonum illud retinendi, & vim inferendam repellendi. At in re de qua agimus, nulla timetur vis extrinſeca: quia caro æquè ac ſatanas, iuxta D. Auguſtin. ſerm. 196. de temp. latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere non poteſt niſi volentem. Itaque eſt omnimoda diſparitas inter vtrumque euentum.

11. Quid quod, certum eſt, & multiplici experimenro firmatum, fruſtrà per exciſionem captari indemnitatem à tentationibus; cum ferant conſtare, Eunuchos factitios acribus ex legis concupiſcentiæ ſtimulis vrgeri, tametſi ſuſcipere liberos nequeant. Proptereáque Scholiaſtes Climaci ad gradum 4. n. 13. quod ibi dicitur, *Eunuchus nullum habere experimentum tentationis & ruinæ à carne*; negat accipiendum de Eunuchis factitiis, ſed ait intelligendum de myſticis, qui voluntate & propoſito ſe caſtrant cæteros autem, ait eſſe iiſdem obnoxios intemperiis à carne quibus reliquos mortales non exectos, Arnobius ſanè lib. 5. in riſum ſoluitur, audiens in Concilio Deorum ad minuendum in Atyde œſtrum libidinis, indictam eſſe exectionem. [ Æſtuatum, (inquit) eſt in Conciliis Deorum, quibuſnam modis poſſet intractabilis illa feritas edomari: & cum via nulla ſupereſſet, ad opem concurſum eſt vnicam, vt mero madidaretur, & virilibus ſpoliaretur abſciſsis. Quaſi verò affecti corporalibus his damnis, fiant languidioris audaciæ, & non quotidie videamus, eos qui ſibi demeſſuerint has partes, maioris petulantiæ fieri, atque omnibus poſtpoſitis pudoris & verecundiæ fræniſ, in obſcœnam prorumpere vilitatem, flagitiorum confeſſione vulgata?] vides quàm non exoluantur turpibus cupiditatibus, qui ſunt execti. Ex ſuomet experimento, idipſum firmat Monachus Eunuchus in actis S. Ioannis Eleemoſinarij cap. 23. n. 65. Caſſos item ſuos conatus, furens in venerem Eunuchus deplorat apud Libanium t. 2. ſerm. 20. Ephraſtico.

12. Ad hoc explicandum S. Baſilius l. de vera Virgin. *ſub finem*, diſtinguit duplicem Eunuchiſmum factitium. Vnum quo exſcinditur tota virilitas, vt faciunt hodiéque Turcæ, ad plenam ſecuritatem ab exectis, vt ait Scaliger exercit. 104. n. 8. alium, quo ſoli didymi auferuntur. Priores Eunuchos, negat S. Baſilius, impudicitiæ flamma liberari: ſed quamuis corpore nihil poſſint; tamen ait animo deſiderióque, iugiter in cœno, porcorum more conuolui; & poſt abſciſſionem eſſe impudiciores, ſeruos voluptatis; qui liberi metu ne deprehendantur, petulantiam licenter fœdis attactibus & amplexibus exſatiant: vt poſſunt, non vt volunt, laſciuientes. De poſterioribus ait, eos acriùs atque ardentiùs inflammari libidine, & impatientiſſimè ferri ad complexum. Et cum obſtructis per exciſionem ſuperioribus meatibus, non poſſint humorem in lumbis inflammatum emittere: non alleuiantur per complexum, vt ij quibus vaſa ſunt integra & expedita; & emiſſione, concupiſcentiæ flagrantis remittunt ardorem; ſed pruritu aſſiduo ſtimulati, aguntur in rabiem, nec deſiſtunt donec fatigatio caſſos conatus diſturbet. Probat hoc S. Baſilius, gemino ſuæ ætatis exemplo, quorum alterum eſt de faſſa ingenuè Virgine ſacra, ſpurcum Eunuchum totum toti affuſum, cum non haberet, quo œſtrum concupiſcentiæ ſedaret, ardentem rabiem, morſibus ac infixis dentibus indicaſſe. Annuit Auſonius epigr. 160. ſic canens.

*Defectos ſic fama viros, vbi caſſa libido*
*Fœmineos cœtus, & non ſua bella laceſcit*
*Irrita vexato conſumere gaudia lecto;*
*Titillata breui cum iam ſub fine voluptas*
*Feruet, & ingeſto peragit ludibria morſu.*

13. S. Cyrillus apud Suid. V. *ἀνάδλων*, in hac fœditate Eunuchorum demonſtranda copioſus eſt. Nec ſolùm ſpadones & qui teſtes aliquando habuerunt, quibus fœdo operi incumberent, *Laſciuire immodicè, & impudenter ac inſatiabiliter luxuriare* ſolitos, ait; [ ſed etiam illos, quibus virilia prorſus ſunt amputata, & qui ſunt exſecti; quemadmodùm & illi qui à primo ortu partibus hiſce ſunt priuati: ( heu extremam abſurditatem & amentiam. ) manibus & digitis corrumpere mulieres, & iſtam impij

facinoris fœditatem adeò furiosè perpetrare. Et hoc ſignificans ille ſapiens dixit. *Beatus eſt Eunuchus, qui manu flagitium non exercuit: & beata virgo, quæ cubile non nouit in delicto, &c.* Audiant igitur hæc illi qui puros & temperatos iſtos fruſtrà putant, neque credant mendacio, & fictæ puritati, ac temperantiæ ſimulatæ. *Ab impuro enim quid purificabitur? Et à mendaci quid veri manabit?* ] ſubdit inferiùs S. Cyrillus iſtos modeſtos eſſe, propter ferrum quod metuunt, ( vt ſcilicet Calligono contigit; ) ſed nullum fructum percipientes ex ſuæ libidinis facinoribus, inſanire verò propter ſuam fœditatem œſtro ac rabie percitos. Rabiunt itaque petulantes ſpadones, & quod notat S. Chryſoſtomus hom. 64. in Matth. maioribus iactantur concupiſcentiæ fluctibus, quàm qui integro & benè affecto ſunt corpore. Idem tradit S. Epiphanius hær. 58. *in fine.*

14. Remiſſiorem tamen eſſe in ſpadonibus & Eunuchis cupiditatis flagrãtiam, eóſque minùs laborare in frænanda carne, agnoſcit Caſſianus collat. 12. c. 10. & S. Auguſtin. lib. 6. in Iulia. c. 14. Sic ſcribens. [ Concupiſcere, viuentis ſentientiſque naturæ eſt, ita vt non deſit concupiſcentia, quam ſpadonum quoque caſtitas frænet; minùs quidem laborioſa, quia vbi materiam de qua operetur non inuenit, minùs aduerſus eam libido conſurgit. Eſt tamen, pudicéque comprimitur, ne cõcumbendi quamuis irritus ipſe conatus, in eam turpitudinem veniat propter quam Calligonum Valentiniani iunioris Eunuchum, gladio nouimus vltore punitum, meretricis confeſsione conuictum. Neque enim & in lib. Eccleſiaſtico adhiberetur inde ſimilitudo, atque diceretur; *videns oculis, & ingemiſcens quaſi ſpado complectens virginem, & ſuſpirans*; niſi & ipſi mouerentur concupiſcentiæ carnalis affectibus, licet deſtituti carnis effectibus. ] Admittunt ergò hi Patres, Eunuchos quati à carne rebellante, & tangi eius corruptis affectibus; quamuis putent mitiùs agitari, quàm cæteros. Quod vnum fortè voluit S. Ambroſius ſub finem libri de viduis, cùm agens de paſsis à pueritia exectionem, ait eos non laborare in negotio caſtitatis. [ ſunt ( inquit ) ſpadones, qui facti ſunt ab hominibus. Et ideò non magna in iis continentiæ gratia, quia voluntas facit, non infirmitas continentem; nam

decet

decet integrum diuini operis ſeruare munus. Nec illis fortè parum ſit, lubrico corporis non teneri. Nam etſi erepta eſt ſubeundi iſtius palma certaminis, erepta etiam materia periculi: Et quamuis non queunt coronari, non queunt tamen vinci. Habent alia genera virtutum, quibus commendare ſe debeant.] Si S. Ambroſius vellet, hos ſpadones nullatenùs tangi affectibus carnis, audiendus non eſſet: quia ratio ex S. Auguſtino propoſita, euincit contrarium. Fortè ergò tantùm vult, quod D. Auguſtinus disertè expreſſit; minùs laborioſam iſtis eſſe continennentiam; contra quàm alij Patres anteriùs prolati affirmabant.

15. Ad rem verò noſtram ſatis eſt, quod ſiue operoſior, ſiue paulò leuior eis ſit continentia; tamen ſentiant ipſi quoque, rebellionem carnis aduerſus ſpiritum. Id quod euincit ratio proximè tacta ex D. Auguſtino, & ſic optimè expreſſa ab Epicteto apud Arrianum l. 2. c. 20. [Res eſt potens & inſuperabilis, natura humana. Enimverò quî poteſt olea non moueri prout fert natura ipſius? aut vitis quodnam aliud eſt opus, quàm quale ei natura definiuit? Neque enim vel olea vitis, vel vitis oleæ poteſt opus præſtare. Tantùm enim abeſt vt id fieri poſſit, vt ne coniectura quidem aliqua, fingere iſtud liceat. Quocirca nec homo omninò affectionum humanarum expers eſſe poteſt. quinetiam quibus reſecta ſunt virilia, hac libidine tamen, quæ eſt in viris ad coëundum, non mutilantur.] Quæ ratio de omnibus planè Eunuchis conuincit, quod carnis ſentiant rebellionem: aliqui minorem, aliqui vehementiorem, puta quibus feruidius eſt iecur, præſertim ſi ſeriùs ſint execti. Hi enim acriùs concitari dicuntur; ita vt plerunque deprehenſi ſint, caſſo licet opere, non voluntate tantùm delinquere, quod docet Leontij cum Euſtolio turpe commercium poſt exectionem. Alia exempla habet Muretus 10. var. c. 11. quanquam exemplum Phauorini Philoſophi Arelatenſis, in adulterio deprehenſi, quod Muretus & Paganinus Gaudentius in operè de Philoſophia apud Romanos c. 93. aliiſque adhibent, fortè non eſt ad rem: Neque enim Eunuchus fortaſſe erat Phauorinus, ſed Androgynus. Verum eſt, Ludouicum Cælium l. 19. c. 12. Vtrumque hoc probrum



Digitized by Google

illi tribuere. Eum quoque Eunuchum dicit Philoſtratus, & eius vocem fuiſſe acutam notat, tenuémque ac ſtridulam, qualis eſt Eunuchorum: Et ipſum Phauorinum inter tria mira quæ de ſe referebat, vnum numeraſſe ait, quod Eunuchus cum eſſet, adulterij cauſam ageret: Et tamen diſertè idem Philoſtratus in opere de Sophiſtis, profitetur Phauorinum fuiſſe Hermaphroditum. Briſſonius de eo gentis ſuæ dedecore pluribus agens l. 1. de regno Perſar. *pagina mihi* 219. Idem agnoſcit.

16. Vt vt ſit, alia exempla indubitata, Eunuchorum fœda commercia captantium, non deſunt. Talis Calligonus de quo iam ſuprà ex Auguſtin. Talis Chereus apud Terentium *in Eunucho*, exemplo Iouis in tabella expreſſi animatus ad ſcelus. Tales etiam duo memorati à S.Baſilio l. de vera Virgin. *ſub finem.* Tales prӕterea alij, notati à Philoſtrato l. 1. vitæ Apollonij c. 21. & 23. Ante Domitiani legem contra adulteros, & ſpadones; mœchatos eſſe ſpadones ait Martialis l.6. epig. 2. Qui item, l.6. epig. 67 ad Pannicum, eiuſdem nequitiæ meminit, exprobrans fuiſſe quæ Eunuchis potiùs conſueſceret, ne pareret; ne vt Iuuenalis ſaty. 6. expoſtulat, opus eſſet abortiuo ad abigendum conceptum; quod fuiſſet vſui, admittendo alium quàm Eunuchum. Ex quibus, aliiſque exemplis, reuincitur falſitatis quod Alexander l. 1. probl. q. 9. ait, Eunuchos defectu ſpirituum tumefacientium, non poſſe fœdo operi incumbere pluſquàm appetitione & voluntate: quam in iis Eunuchis agnoſcit qui pubeſcentes ſunt execti, præſertim ſi ſit illis iecur feruentius, & ſeminis conceptacula ampliora. Vltra appetitionem autem progredi poſſe, diffitetur. Sed experientia optima rerum Magiſtra, contrarium docet, reuincítque non deeſſe eis ſpiritus, quibus poſſint ſe abſque apta agri muliebris ſatione, viros exhibere, & corruptionem cauſare non abſque voluptatis illecebra ex parte quoque mulieris, ob aliquam ſpirituũ admiſtionem cum aquoſo humore concalefacto quem emittunt, vt Galenus diſertè notat l. 3. de vſu part. c. 11. Nam ſi humorem emitterent frigidum, inferret potiùs cruciatum mulierculæ, vt profeſſas eſſe ſagas de humore à ſatana immiſſo, in fœdo cum ipſis commercio, prodit Nicol. Remigius, ac ex ipſo Martinus Delrio 2. Mag. q. 15.

Digitized by Google

17. Itaque ad hæc attendentes Patres, meritò admonent, cauendum quoque mulieri eſſe ab Eunuchis, nec fidendum eſſe eorum cuſtodiæ. [Ab vxore tua, (inquit S. Nilus apud Damaſcenum lib. 2. parall. cap. 34.) ſpadonum ſtrepitum remoue. Quamuis enim ſpado, infra, geminos teſtes exectos habere videatur: at ſupra tamen, geminos in facie oculos habet libidinosè obtuentes, ac mala teſtimonia ſecum trahentes.] Similiter S. Hieronimus epiſtola 8. Demetriadem ſic admonebat. [Eunuchorum tibi & puellarum ac ſeruulorum, mores magis eligantur, quàm vultuum elegantia; quia in omni ſexu & ætate, & truncatorum corporum violenta pudicitia, animi conſiderandi ſunt; qui amputari niſi Chriſti timore non poſſunt.] Et ſcribens ad Lætam, minùs prouidum ac plenum cenſet eorum conſilium, qui contenti erant ne virgines coram Eunuchis lauarētur. Eodem pertinet exectio in longam ſecuramque libidinem, quam ſugillat idem S. Hieronimus lib. 1. in Iouin. dicens, ſub Eunuchorum nomine adulteros deliteſcere. Eunuchum, cui commiſſa mulier fuerat, infidelem fuiſſe committenti, refert S. Baſilius l. de ſancta Virginitate *ad finem*, qui addit. [Maſculina corpora, licet illa Eunuchorum ſint, cautè vitanda ſunt Virgini. Sit enim ille licet Eunuchus, vir tamen per naturam eſt. Sicut enim cornutus bos, etſi illi præcidantur cornua, non tamen ſublatis cornibus equus efficitur; ſed abſint licet cornua, bos tamen eſt; ita & maſculus, abſciſſis genitalibus omnibus, ea tamen mutilatione ſua, mulier effectus non eſt ſed maſculus, (vt eſt à natura conditus,) permanet: ac ſicuti bos reciſis cornibus, ſic quoque, furore cornu petit, (ceruicem quippè incuruans, & caput ad feriendi impetum formans, gaudet intentare minas;) ac ſæpiùs ea parte capitis ferit qua cornibus antea fuerat armatus; ſatisfacitque furori per actus imaginem; (ita enim afficitur correptus iræ impetu, non vt caſſo feriens vulnere, ſed vt priùs ictu cornuum ſcindens, ac diuidens:) ita & maſculus quamvis abſciſſus genitalia, vitioſa tamen concupiſcentia maſculus eſt. Quocirca & ipſe ſe ad actum fœditatis ſimiliter formans, amorem ſpirat, incredibilemque veſaniam: imò & ad coitum feruens, etiamſi ea parte non violet, fœminæ



Digitized by Google

turbulentus incumbens; ipſe tamen ac ſi corruperit, ſatisfeceritque cupidini, ita ſceleris imagine affectus eſt. Eam verò ad peccatum vehementiùs irritans, totum quidem corrumpit animum, corpuſque ad corruptionis actum inclementer inſtigat.] Hoc Stratonicæ à Combabo execto accidiſſe, idémque imitari ſolitos ſpurcos Eunuchos ſemiviros, Deæ Syriæ myſtas, narrat Lucianus l. de Syria Dea. Ex quibus omnibus liquet, quàm frigida fuerit Petri Abelardi apologia, cum redargutus de nimia familiaritate cum amica quidem ſua Heloiſa, & aliis Monialibus Paraclitenſibus, repoſuit; Eunuchos, qualis ipſe factus erat, tutò & abſque omni periculo poſſe verſari cum fœminis. Sic ille in ſuarum calamit. Hiſtor. c. 14.

17. Quare cum captatio immunitatis à tentationibus carnis, per exſectionem & fœdam & crudelem, irrita ſit, vt eſt demonſtratum, peruersè iam olim multi, & hodiéque nonnulli, quorum recenſentur exempla in nouo Prato ſpirituali num. 98. & alios poſtea comperi in Tuſcia, Sicilia, & Gallia, remedium frænandæ carnis, à nouacula exſecante petendum eſſe cenſuerunt, meritò improbati ab Eccleſia. Multos id olim patraſſe, valdè iuueniliter, fortitudinis gloriam collecturos, monſtrant verba illa *S.* Epiphanij in Anacephalæoſi. [Non pauci ſeipſos caſtrare auſi ſunt, præter mandata: nimirùm iuuenilis ac robuſtæ actionis gratia.] Sed non fuiſſe opus fortitudinis, at potiùs imbellis animi, & ad reſiſtendi difficultatem fracti, dictum eſt ſuperiùs ex *S.* Ambroſio, atque Apollonio. Et miror Ioannem Pierium Valerianum l. 34. Hyerogliph. exponentem ſymbola partis qua mas conſtituitur §. *Prouentus*, allegato ex Catalectis virgilianis diſticho, quo metrum commercij ſexuum ſtatuitur liberorum procreatio, ſubiungere hæc verba. [Approbes interim eorum fortitudinem, qui potiùs excaſtrari voluerunt, quàm illicito coitu contaminari: cuius facti fide apud Cyprianum, & Origenẽ quærito.] Erras, mi homo, Quam tu *fortitudinem* vocas, viri ſapientes appellant ignauiam; & factum quod tu approbas, viſque vt approbemus, Patres abominantur, & Eccleſia percellit anathemate. Laudent ſanè Ethnici hanc fortitudinem, quibus Atys in Deum tranſſcriptus eſt, & ſacris honeſtatus, quia ſe

Digitized by Google

exſecuit, Deæ anui depereunti renuens ſatisfacere. Et idem factum Eumuno apud Phœnices quia ſe exſecuit, ne Arſinæ Deæ, cuius inſidiis in venatione interceptus erat, libidini pareret, eam ob cauſam euectus in Deum & Pæanis, nomine deinceps donatus, vt ſcribit Damaſcius in vita Iſidori, & Elias Scedius l. de diis Germaniæ Syngrammate 1.c.6. Celebrent & Apotheoſi, donent talem fortitudinem Ethnici. Anathematizant eam Chriſtiani.

Alia ergo Alexipharmaca aduersùs ſtimulos carnis, & ad firmandam tentationum fluctibus agitatam continentiam conquirere par eſt, procul allegata cogitatione de exectione, & fruſtrà & nequiter in eum finem adhibenda. Climacus Gradu 14. ventris coercitionem maximè in eam rem commendat.[ Reſtringamus (inquit) ventrem, æterni ignis memoria. Nam nõnulli qui huic obedierunt, tandem eò deuenerunt, vt ipſi ſibi genitalia præciderent (vtique ad continendum) geminámque ſibi mortem, corporis & animæ inferrent. Inquiramus & omnino intelligemus, gulam nobis huiuſmodi naufragiorum vnicam eſſe cauſam, & auctricem.] An hoc eſt remedium quod Crates referente Clement. l. 2. Strom. ſub Med. ſuggerebat, cum diceret, optimum rei Venereæ cataplaſma, eſſe famem. Illuſtrat hoc optimè ex Hieronimo Ferar in cap.8. Tib. quæſt. 11. Alia præterea proponens remedia longè optima ſex ſequentibus quæſtiũculis. Sicut & Delrio l. 3. Mag. p. 1. q. 3. ſ. 3. Addenſat pleráque ſed neſcio an vllum ſit fortius eo quod vterque præteriit; nempe humillima animi remiſſione agnoſcente continentiam haberi non poſſe niſi Deus det, & idcirco fragilitatem ſuam ſemper timente, niſi à Deo firmetur ac fulciatur. Certum quippè eſt, ordinariam ſuperbiæ retributionem, eſſe petulantiam carnis rebellantis, vt benè tradit Caſſianus l de ſpir. ſuperbiæ c. 21. & 22. S. Gregorius 26. mor. c. 12. & 13. & l. 11. c. 9. ad illud *Baltheum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum*: Sicut ergo ſuperbi ſinuntur carnis ferociam experiri, ſic humiles ac trementes ſermonem Domini, Diuinis ſuppetiis firmantur in ſtudio puritatis; ita vt non egeant caſtratione corporea, ſed ipſi ſeipſos myſticè exſecent propter regnum cœlorum.

### §. 3. *Improbata exſectio ad amouendam ſuſpicionem.*

1. Ex hoc fine, adoleſcentem Chriſtianum tempore S. Iuſtini, cupiuiſſe exſecari, ſcribit ipſe S. Iuſtinus Apol. ad Antoninum. Recenſens enim tetras calumnias Ethnicorum in Chriſtianos, quarum vna erat de promiſcuo concubitu; è contrario ait S. Iuſtinus, pleroſque Chriſtianos perpetuam ſeruare continentiam: & fuiſſe inter eos vnum, qui perſuaſurus Ethnicis, Chriſtianos falsò inſimulari turpitudinis promiſcuæ, libellum obtulit, Felici Alexandriæ Præſidi, poſtulans exectionis poteſtatem fieri Chirurgis; eo quod negarent abſque permiſſu Præſidis, fas eſſe id præſtare: Et renuente Præſide ſubſcribere libello, iuuenis integritati ſuæ relictus, contentus fuit ſuæ ſuorúmque conſcientia, vt S. Iuſtinus loquitur. Itaque iuuenis ille, non petebat exectionem in remedium ad leniendas tentationes. (vt Baron. ait an. 130.) Sed vt ex contextu Iuſtini patet & benè notauit Petrus Halloix in vita *S.* Iuſtini c. 17. Idcircò petebat exſecari, vt conſtaret Ethnicis, quàm falsò impingeretur Chriſtianis, quod eſſent adeò flagrantis libidinis, & tantæ incontinentiæ, vt promiſcuè libidinarentur: Atque adeò poſcebat euirari ad remouendas ſuſpiciones de Chriſtianis excitatas, quod eſt caput honeſtandæ iuxta aliquos exectionis, in quo nunc verſamur. Fuerunt qui de Origene idem ſcriberent; nimirùm illum exſecari voluiſſe, ne tradens Chriſtianam doctrinam promiſcuè omnibus, ac fœminis quoque, pateret criminationi. Tametſi cum occultè facinus illud patraſſet, verius videtur quod ſuprà de eo diximus; nimirum quod quæſierit continentiæ ſuæ præſidium ab exectione, ex malo intellectu verborum Chriſti de Eunuchis laudabilibus, propter regnum cœlorum exectis. De Chriſtiano quodam idem memorat creditus Auguſtinus q. 115. ex vtroque mixtim, cum ait. [ Cum quidam ad peregrina loca proficiſceretur, vxorem ſuam amico quem fidelem ſciret, commendauit; non vtique puero, ſed maturæ ætatis; qui vt diligentior cuſtos eius eſſet, abſcidit ſe. ]

Non inter Chriſtianos tantùm, ſed etiam inter Ethnicos adhibitam aliquandò exectionem legimus, vt eliderctur mali

ſupicio. Nam apud Lucianum l. de Syria Dea, Combabus aulicus ſpecieſiſſimus, à Rege Aſſyriorum cum Stratonice priùs nouerca, tum vxore, deſtinatus ad ædificandum Iunoni templũ in *Sacra* Syriæ vrbe, præſcius libidinis Reginæ, exſecuit ſe ante diſceſſum, & didymos in pyxide ritè obſignata concluſos, Regi totius facti ignaro reliquit. Per triennem autem commorationem, familiaritatem cum Regina iuſto maiorem, adulterij ſuſpectus factus Combabus, retecto ſuo ſpadonatu, fidem ſuam Regi probauit; reus futurus niſi voluntaria exectione anteocccupaſſet criminationem.

2. Cæterùm hæc exſectionis honeſtatio, planè friuola eſt, & indigna quæ obtendatur. Sic enim poſſet quis, ne cenſeretur adieciſſe oculos ad rem alienam, exoculare ſe abſque culpa, vt factum Democriti interpretantur nonnulli. Quanquam alij eius elucificationem referunt aliò. At quis poſſit approbare tam pretioſi ſenſus auulſionem, ne ſit locus alienæ criminationi? Itaque neq; exſectio probari poteſt, ſi ob ſimilem cauſam adhibeatur. Sunt aliæ viæ non paucæ quibus calumniæ præcludi poſſint; præſertim per cautam & ſollicitam bonæ famæ conuerſationem cum ſexu molliore. Item per indiligentem cuticulæ curam, vnde corpus emaciatum non ita facilè incurret in oblæſiones & prauas ſuſpiciones. Nam virginitatem exquiſitè ſeruatam, tympano, quod corium exſuccum eſt, adumbratam (vt Gregorius Nyſſenus l. de vera virgin. c. 19. Philoſophatur;) claritas ſonora, & fama vndecumque exaudita, conſectatur: cum qua non eſt periculum coniungi calumnias circa pudicitiam. Erubeſceret enim quantumcunque malignus criminator, appingere maculam nitori, & ſolem tenebricoſitatis inſimulare. Itaque accurata ſui cuſtodia, & teſtata exhibitione modeſtiæ, quæ veſtibulum eſt bonæ domus, (vt loquitur S. Ambroſius l. 2. de virgin. *initio*, adductus à S. Auguſtino l. 4. de Doctr. Chriſtiana. c. 31. calumnias anteoccupet quiſquis eas extimeſcit. Sicut è contrario, licentia ſenſuum & craſſitudo ex benè curata cute, ac otio, aditum calumniis ac ſuſpicionibus circa caſtitatem facilè aperit. Innuit enim hominem eſſe de grege Iouiniani, vt Philoſophatur Philippus Abbas l. de contin. Clerico. c. 93.

Digitized by Google

3. Vt autem certiſſimum fiat, exectionem non eſſe medium accommodatum ad obſtruendum os loquentium iniqua, recolendum eſt quod ſuprà diffusè eſt euictum; exectos pleroſque, eſſe deprehenſos eſſe in cœno turpitudinis. Et eos ipſos quibus virginum vel fœminarum pudicitia concredita erat, compertos plerunque fuiſſe noxios infidelitatis. Teſtis Combabus cum Stratonice,& is quem ex credito Auguſtino referebam in q.115. ex vtroque mixtim. Nam addit autor, eum ſe execuiſſe, *vt ſine cuiuſquam ſuſpicione cautè* dormiret cum credita ſibi amici vxore. Quid ergò obſtabit, quominùs is quoque qui indemnitatem famæ captat per exectionem, inſimuletur nihilominus eiuſdem maculæ, cuius tot alij ſimiliter execti, infamiam ſuſtinuerunt, imò & maculam? Non eſt ergò hæc auertendæ calumniæ ratio idonea, ſed aliæ quas attigimus, & quibus adhibitis, vel non erit qui audeat calumniam circa pudicitiam inferrè; vel ſi inferatur, non adhæreſceret, ſed illicò perinde ac ſi illata non fuiſſet, euaneſceret.

## §. 4. *Damnata exſectio ſpe promotionis in aula.*

1. Vetuerat Deus Deuter. 23. Eunuchos intrare in Eccleſiam Dei, hoc eſt fungi Magiſtratibus, & prouehi ad dignitates. Sic enim eum ingreſſum in Eccleſiam Dei, interpretantur ibi Caietanus, Cornelius, & mutata priore ſua ſententia, Lorinus, adducens Eſtium atque Ianſenium. E contrario Satan, pro viribus ſategit, promouere ad munera & adminiſtrationem publicam, Eunuchos: vt hac illecebra pellecti mortales, cruciatum illum alacriùs ſuſciperent, aut etiam captarent, vt reipſa contigit. Fuit ergò tempus, quo aulæ Principum redundabant Eunuchis. Nam omnes Magnatum ac Regum famuli, erant Eunuchi: & iis præcipua quæque munera, & præfecturæ demandabantur, & palatinum ſatillitium ex eis maximè conflabatur. Videſis id latè illuſtrantem Briſſonium l. 1. de Regno Perſarum *pag.* mihi 178. & 179. & l. 2. pag. 297.

2. Verum eſt, non omnes qui Eunuchi quandoque dicuntur, & publicis muneribus diſtenti fuiſſe, vel apud principes omnia potuiſſe

potuiſſe referuntur, fuiſſe Euiratos. Nam Geneſ. 39. Putiphar princeps exercitus Pharaonis, cui Ioſeph venditus eſt, vocatur *Eunuchus*, cui tamen vxorem fuiſſe, ibidem narratur. Et iuxta pleroſque, Ioſeph eius filiam duxit vxorem. Quanquam volunt poſt ſuſceptam filiam extabuiſſe eius virilitatem; & ſic promotum in ſacerdotem Heliopoleos, quæ ſunt commenti ſuſpecta. Sed veriſimillimum eſt, Putipharem, neque fuiſſe Ioſephi ſocerum, neque promotum in ſacerdotem Heliopolitanum: dictum autem eſſe Eunuchum, à miniſterio Regio. Qua item ratione princeps piſtorum, & Magiſter pincernarum, dicti videntur *Eunuchi*. Idem intelligendum eſt, de pleriſque Eunuchis vxoratis. Sic Eunuchus quiſpiam coniugatus memoratur à S. Hieronimo Epiſto. 9. Et Hermias Eunuchus, fuit Ariſtotelis ſocer, ob quem Diuis annumeratum dicto ei pæane, (qui hymnus erat Deorum proprius,) gener ipſe, cicutæ hauſtu, decernente iudice perijt, vt ſcribunt Heſychius de viris illuſtribus, & Laertius, ac Suidas *in Ariſtotele*.

3. Dixi, de pleriſque Eunuchis vxoratis verum eſſe, quod dicti ſint *Eunuchi* à munere vel dignitate. Fateor enim de quibuſdam aliud eſſe, quia cum plerique Doctores ante Sixtum V. admiſerint coniugia verorum Eunuchorum valere; quid mirum eſt, fuiſſe veros Eunuchos, qui ſpurcitijs adamatis obduxerint nomen coniugij? Talis Dindymus apud Martialem l. XI. Epigr. 82. Plerique tamen donati nomen *Eunuchorum*, qui coniugio illigati dicuntur, dicti ſunt *Eunuchi*, à munere, non ab vllo naturæ defectu. Tradunt eam *Eunuchi* notionem in pleriſque ſcripturis adhibitam, Elias ad Orationem 3. Nazianzeni Maldonatus in c. 38. Ierem. Capillia ibidem in c. 29. Perer. in c. 37. Geneſ. diſp. 9. obſeruantes, Chaldæum eadem voce exprimere fidelem ſeruum & Eunuchum; quia inualuerat fama de Eunuchorum ſemiuirorum fidelitate. Quare vel alia quondam fuit notio vocis *Eunuchus*; vel certè, vt cenſet Caietanus Geneſ. 40 & Matthæus Bremenſis in lexico Philologico V. *Eunuchus*, ac Bonfrerius in c. 37. Geneſ. num. 36. munus aliquando ſolis euiratis concreditum, poſtea ad viros non imminutos tranſijt, cum anteriore appellatione; quod factum eſſe

V

Digitized by Google

circa pleraſque alias voces notatur in Opere de Martyrio p. 3. c. 6. n. 8.

4. Quod tamen qui in protrita vocis notione, *Eunuchi* erant, ad primaria quæque miniſteria ſummam fidem exigentia adhibiberentur, eſſentque in magna apud Principes gratia, & omnia propè in aula poſſent negare non licet, cum res ſit teſtatiſſima. Plerique erant præpoſiti, Regis aut Principis cubiculo, qualis erat apud Holofernem Vagao ex c. 12. Iudith. Alij erant primarij Regiorum conſiliorum adminiſtri. Conſiliarios Cleopatræ fuiſſe Eunuchos, ferunt illa Flacci l. 1. Oda 37.

*Regina dementes ruinas,*
*Funus & imperio parabat;*
*Contaminato cum grege turpium*
*Morbo virorum.*

Hique ſunt ſpadones rugoſi, queis Romanos Antonianos ſub fœminæ regimine ſeruiiſſe, expoſtulat Epodo 9. Morbo autem corruptos dixit, ſpectans animi morbos & vitia, vt multis exemplis illuſtrat Lambinus ad Satyr. 6. libri primi. Niſi ſi cum Philone Iudæo l. de victimas offerentibus, nefandiſſimos pathicos malis intelligere. Ait enim arcitos è cœtu ſacro, lege Iudaica [ ſemiuiros obſcœno morbo laborantes; qui naturæ monetam adulterantes, in impudicarum mulierum affectum & formam, ſponte degenerant ] Erant ergò à Regum conſilijs Eunuchi. Et tales fuere ſeptem illi Aſſuero aſtantes, de quibus Eſter. 1. Et tales quoque fuiſſe videntur Eunuchi illi de quibus 1. Paral. c. 28. Dicitur, *Conuocauit Dauid omnes principes Iſraël, Duces tribuum, & præfectos turmarum, qui miniſtrabant Regi; Tribunos quoque & centuriones, & qui praerant ſubſtantiæ, & poſſeſſionibus Regis; filioſque ſuos cum Eunuchis, & potentes & robuſtiſſimos quoſque in exercitu Ieruſalem.* Hos enim Eunuchos, qui à Dauide inter cæteros magnates & aulæ primores ſunt adunati, verè fuiſſe euiratos, cenſet Pineda l. 1. de Salomone c. x1. n. 3. tametſi S. Hieronimus in Traditionibus, putat dictos myſticè *Eunuchos*, à iudicio terſo, per carnales delicias non obnubilato. Fortaſſis autem erant curatores filiorum Regis; quandoquidem vnà cum filijs recenſentur. Apud Perſas ſanè, ducto fortaſſis

ab Hebræis exemplo, pueri regij committebantur curæ Eunuchorum, vt Briſſonius l. 1. de regno Perſ. demonſtrat. Apud eoſdem Perſas, ex Cyri inſtituto, Rex ab Eunuchis cuſtodiebatur. Et Heraclium, teſtamento iuſſiſſe vt ſuum ſepulchrum, ex quo in illud eſſet illatus, triduo pateret, cuſtodiétibus Eunuchis, ſcribit S. Nicephorus Conſtantinopolitanus in Hiſtoria.

5. Alijs Eunuchis committebatur cuſtodia Gynecæorum, & hanc fuiſſe primam caſtrandi cauſam in Zelotypia principum fundatam, cenſet S. Epiph. hær. 58. Et quanquam initio Reginarum duntaxat erat habere Eunuchos cuſtodes & aſſeclas, vt eſt apud Terentium actu 1. Eunuchi, ſcena 2. Tamen poſtea matronis quibuſuis primarijs fuerunt Eunuchi cuſtodes & famuli, quos tanto numero adiuuabant, vt greges viderentur, vt loquitur S. Hieronimus Epiſto. de cuſtod. virgin. agens de primaria matrona Chriſtiana, quam abs ſe viſam cum hoc denſo comitatu ait, ad S. Petri Baſilicam. Plautianus filiæ ſuæ Plautillæ, quæ poſtea Antonino nupſit, centum Eunuchos aſſignauit, ciues Romanos, quorum nonnullis vxores erant & liberi; quos iam exectos abs ſe viſos, ait Dio Nicæus *in Seuero*; Et Ammianus lib. 14. agmina ſpadonum à ſenibus in pueros deſinentia Romanas matronas ſtipaſſe expoſtulat. Tantoperèque excreuit hic luxus, vt pro modo facultatum, definiri principis edicto, numerum Eunuchorum matronis famulantium, neceſſe fuerit, vt eſt apud Vopiſcum in Aureliano *ſub finem*, verbis illis. [ Eunuchorum modum pro ſenatorijs profeſſionibus ſtatuit; idcircò quod ad ingentia pretia peruenisset. ] Ad Eunuchos matronarum, pertinent illa Clementis 3. Pædag. c. 4. [ Qui mulierum quidem lecticas in altum tollant, & perniciter eas ferant, multi Galli ſunt *&c.* qui mulieribus quidem falſa narrant, tota die cum eis verſantur, amatorias fabulas nugaciter referentes, earumque corpus & animas, falſis factis & verbis mordacibus enecantes. ] Quod Eunuchos ait vectaſſe matronas, confirmatur ex Hieronimo qui in Paulæ Epitaphio ait, eam aliàs ſuccollantibus Eunuchis vectatam.

6. Alij Eunuchi erant ſuper gazas & theſauros Regum, vt habetur c. 8. Actor. erátque id adeò Eunuchis addictum, vt



Digitized by Google

Lyſimachus Plutarcho teſte *in Demetrio*, cum vocatus à Demetrio fuiſſet *Gazophilax*, reſponderit; *Num me ſpadonem arbitratur?* ſignificans, eum titulum & munus ea voce ſignificatum, eſſe proprium ſpadonum & Eunuchorum. Fuiſſe quoque qui præficerentur militiæ, legimus Ierem. 52. Ciuitati præfectum Archieunuchum, memorat Gregoras lib. 6. Et in ſumma, fuiſſe plerunque Eunuchos apud Reges in magna autoritate & gratia, & extra dubium. Talis fuit apud Ochum Perſarum Regem Bagoas, & Diodoro lib. 16. apud Ptolemæum Photinus ſuaſor cædis Pompeij; apud Xerxem Hermotinus. Paſſim apud magnates quoque, cætus Eunuchorum viſebantur, vt his verbis tradit S. Cyrillus apud Suidam V. ἀνάνδρων. [ Licet videre magnatum & procerum ædes, refertas huiuſmodi monſtris, faciem portentoſa forma præditam habentibus, aureas lunulas in collo ferentibus; naturam quidem maris, fœminæ verò aſpectum habentibus, & fracto mollíque greſſu incedentibus, & delicatè loquentibus ac indecorè, meritricularum inſtar. Huc & illhuc caput circumagunt, quaſſantes: & intemperanter ac impudenter rident, inſaniam manifeſtam præ ſe ferentes.]

7. Quæ porrò cauſa eſſet, cur Eunuchi apud Magnates tantoperè gratia valerent & homines muliebres, viri non viri, officijs virilibus admouerentur ab Imperatoribus, Naz. orat. 21. fatetur, ſe non videre. Apud varios tamen, huiuſmodi agendi non vna cauſa fuit. Nam plerique in turpi obſequio præſto erãt, vt Neroni Sporus, & Lygdus Druſo; Tito complures. Idque eſt, quod dicuntur Eunuchi Regibus fuiſſe in delicijs quod Pancirolus l. 2. theſau. c. 110. retulit ad amorem erga eos, ob fidelem cuſtodiam matronarum. Sed ſuberat illis delicijs alia notio, fœda & execranda, ob quam qui elegantiores erant, vænibant cariùs, vt eſt apud Herodotum lib. 8. cum de Panionio hanc negotiationem exercente. Ex eo item quod Eunuchi cuſtodirent gynecæa, & regijs vxoribus ac pellicibus ſemper adeſſent, ac etiam non rarò illis ad ſecuras libidinationes, (vt S. Hieronimus l. 1. in Iouin. loquitur,) eſſent vſui; facilè mulierum regiarum gratiam colligebant, & per eas commendati, ab emollitis muliebri pellacia viris promouebantur. Theodoretus

in Aphraate c. 8. ἑώᾳ. cauſam gratiæ Eunuchorum apud principes, refert in libertatem dicendi; qua homines abſque liberis atque adeò de poſteritate non ſolliciti, fidenter aperiebant veritatem, cuius ſumma eſt apud Reges penuria, vt dico in Morali diſt. 1. n. 152.

8. Paſſim video, cauſam tantæ Eunuchorum apud Reges gratiæ, peti ex fide erga principes, cuius inualuerat opinio. Fuerunt ſanè aliqui Eunuchi proditores, vt duo illi per Mardochæum delati, qui Aſſuero inſidiati erant, & Pharnacia qui Xerxem prodidit. Liuius lib. 35. Eunuchos miſcendo Regibus veneno, nouos adminiſtros eſſe dixit, qua perfidia, vix alia poteſt eſſe ſceleratior. Valentinianum 2. Gratiani fratrem, perfidi Eunuchi ab Arbogaſte corrupti ſtrangularunt, & cadauer ſuſpendio infamarunt, vt narratur l. 13. miſcellæ. Artemidorus l. 2. c. 14. omnes eunuchos ἀπίστους *infideles* appellauit. Nihilominùs fidem Eunuchorum frequenter celebratam legimus. [ Apud Barbaros, (inquit l. 8. Herodotus,) pretioſiores Eunuchi ſunt, quàm qui non ſunt caſtrati, in omni genere, fidei gratia. ] Ex Xenophonte l. 7. Cyripæd. intima aula, ex ſemiuiro genere tanquam fidiſſimo conſtabat; & cuſtodia curaque corporis Regij, penes Eunuchos erat. Omnia ex Cyri inſtituto. Corippus l. 3. paucis attingens omnia munera Eunuchis concredita, tribuit eorum fidei, quod illis crederentur. Sic enim ait.

*Aſſuit obſequio caſtorum turba virorum.*
*Illis ſumma fides, & plena licentia ſacris*
*Deſeruire locis; atque aurea fulcra parare;*
*Regales menſas epulis onerare ſupernis;*
*Conſeruare domum, ſanctúmque intrare cubile,*
*Internas munire fores, veſtéſque parare.*
*Eminet excelſus ſuper omnia vertice Narſes*
*Agmina, & auguſtam cultu præfulgurat Aulam.*

9. Ob prædictas igitur cauſas, adhibebantur à Regibus & Magnatibus Eunuchi, & ad honorum faſtigia prouehebantur; cùm in alijs principatibus, tum etiam in Romano Imperio. Id volebat Tacitus 6. Annal. cum de Parthis diceret; [ Proximus

Digitized by Google

Sinnaci Abdus, ademptæ virilitatis. Non deſpectum id apud Barbaros, vltroque potentiam habet.] Quid illud *vltrò?* Puto ſenſum eſſe, non carò ſtetiſſe potentiam; ſed ferè ſe illis non ſollicitis ingeſſiſſe. Mittamus alia imperia. In Romano quid Chryſaphio, Eutropio, Narſete, Potentius? Fuit quidem in Romano Imperio negatus Eunuchis aditus ad purpuram, vt diſertè habet Euagrius l. 4. c. 21. agens de Amantio Eunucho. Ad inferiores tamen quoſque honorum apices, etiam Conſulatum & Patriciatum, euecti ſunt. Sed magna cum viciſſitudine, pro Imperatorum vario ſenſu atque iudicio. Nam Heliogabalus, Eunuchos ad omnia adhibuit. At eius ſucceſſor Alexander Seuerus, longè ſecus. Audi Lampridium in Alexandro. [Eunuchos de miniſterio ſuo abiecit, & vxori vt ſeruos ſeruire iuſſit. Et cum Heliogabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit, nec quicquam in palatio curare voluit, niſi balneas fœminarum; cum pleroſque Eunuchos rationibus & procurationibus præpoſuiſſet Heliogabalus; hic illis & veteres ſuſtulit dignitates. Idem, tertium genus hominum Eunuchos eſſe dicebat, nec videndum, nec in vſu habendum à viris, ſed vix à fœminis nobilibus.] Et inferiùs. [Eunuchos quos Heliogabalus, & in conſiljs turpibus habebat, & promouebat, donauit amicis, addito elogio, vt ſi non rediſſent ad bonos mores, eoſdem liceret occidi, ſine autoritate iudicij.] Rursùs inferiùs, omnia ſub Heliogabalo ab Eunuchis vendita teſtatur, etiam principis arcana: Id verò ne fieret, cauiſſe Alexandrum, excluſis nimirùm Eunuchis. Vnde in calce vitæ Alexandri, ait Lampridius. [Eunuchos, nec in conſiliis, nec in miniſterijs habuit, qui ſoli principes perdunt, dum eos more gentium aut Regum Perſarum volunt viuere: qui à populo etiam amiciſſimum principem ſemouent, qui internuncij ſunt; aliud quàm reſpondetur ſæpè referentes, claudentes principem ſuum, & agentes ante omnia ne quid ſciat. Qui cum empti ſint, & praui fuerint quid tandem poſſunt boni ſapere? Erat denique eius ipſius ſententia. Ego de præfectorum & Conſulum & Senatorum capitibus, mancipia ære empta iudicare non patiar.] Itaque malè omninò habuit gens Eunuchina ſub Alexandro.

Digitized by Google

Conſtantinus Magnus, initio, Eunuchos habuit adminiſtros Reipublicæ, poſtea tamen eos deiecit. Vnde Lampridius in Alexandro alloquens Conſtantinum, ait. [ Salua Republ. poſtquàm intellexiſti quid mali clades iſtæ habeant, & quemadmodùm principes circumueniant, & tu eos eo loco habes, vt nec chlamyde vti iuſſeris, ſed domeſticis neceſſitatibus delegaris. ] At rursùs ſub Conſtantio mutata eſt ſors Eunuchorum. Vt enim Aurelius Victor teſtatur, ſub Conſtantio omnia potuere Eunuchi: Expoſtuláṫque S. Athanaſius Epiſtola ad Solitar. filium Dei, ab Eunuchis, vt natura, ita animo ad gignendum infrugiferis eſſe exagitatum, promoto ſupra modum Arianiſmo per Euſebium Eunuchum præfectum cubiculi; & ſemiuiros collegas quibus palatium ſcatebat. Mox tamen ſub Iuliano Apoſtata, deiecti ſunt Eunuchi, & hæ palatij ſordes, euerrente Iuliano validè egeſtæ, vt ſcribit Ammianus. Et ipſe Iulianus in Miſopogone, agens de Eunucho, ſuo quondam educatore. [ Hoc nomen (inquit) quod ante viceſimum menſem, honoris, nunc contumeliæ cauſa appellatur, Eunuchus erat. ] Quid multa? Euſebium illum Conſtantij cubiculo Præfectum, capitali ſupplicio addixit, vt ait Sozomenus l. 5. c. 5. At denuò ſub Arcadio ſumma rerum penes Eunuchos fuit; tam indignè, vt Eutropius homo ſeruilis ſortis, in Conſulem ſit euectus, omnium Eunuchorum princeps, vt notant Socrates l. 6. c. 5. & Sozomenus lib. 8. c. 2. latè deteſtante eam monſtroſitatem Claudiano. Tantæ autem fuit ſub Arcadio potentiæ Eutropius, vt quod habet Suidas V. σπάδων, genus Eunuchorum ex tempore immensùm creuerit, pleriſque iam barbatis, ſuſpirantibus ad ſortem Eutropij per exectionem, quæ multis vitæ terminum poſuit, ita vt Eutropium cum viro amitterent. Per occaſionem verò promoti in Conſulem Eutropij, Gainas Eutropio infenſiſſimus, Orientale Imperium propè attriuit. Et denique ipſe Eutropius ſecuri percuſſus, & funditùs euerſus, etiam eius nomine in faſtis conſularibus prætereito, ſolo Theodoro Collega adſcripto, Eunuchis ſua deiectione non parùm incommodauit. Spectant ad Eutropium illa S. Aſterij, extrema homilia in feſtum Calend. [ Quid quod anno ſuperiore Gigan-

Digitized by Google

tea prorſus facinora atque etiam maiora molitus eſt, cuius ſexus in dubium vocabatur; virgáſque Conſulares affectauit, qui virgas heriles effugerat, ac tantum telluris poſſedit, quantum nec facilè nominare? Qui nunc exigua conditur humo, & quantulam ei non nemo, miſeratione motus impertiit.] Fuere ergo Eunuchi ſub Arcadio, admodùm euecti, initio, ſed poſtea deiecti. At rursùs ſub Theodoſio iuniore Arcadii filio, caput extulere Eunuchi, Flauio Antiocho in patricium & Conſulem euecto, cum Anicio Baſſo, ipſo Synodi Epheſinæ initio. Tandem tamen Antiochus rotam verſatilem fortunæ ſubiit; & delatus apud Theodoſium, redactus eſt in Ordinem, addicta per eam occaſionem lege, (vt Suidas notauit V. *ἀνάδην*) ne quis Eunuchus inter patricios militaret.

10. Hæc Eunuchorum ſubitio in aularum adyta, & ereptio ad magnos honores, per Gynecæi aut Principum quibuſcunque obſequiis collectam gratiam; (nam etiam lenones agebant, vt liquet ex Iudithæ hiſtoria, & à Clem. Alexandrino 3. pædag. c. 4. notatum eſt,) effecit, vt rerum potientibus Eunuchis, quod ſatis diuturnum fuit, plerique natu grandes, illecebra magnæ ſortis illecti, exſecari vellent: alii verè natis illam ſortem augurantes, euirationem illis inferrent: ita vt repetitis ſæpè ſeueriſſimis legibus exectione interdicentibus, ægerrimè tamen occurreretur renaſcenti ſubinde morbo, vt habetur ex Iuſtiniani Nouella Conſtitutione de Eunuchis.

Exclamare hîc iure liceat, heu dementiam, & inſanias falſas, imò veras; vt benè pſaltis verbum immutauit S. Maximus hom. in ramis palm. Quid verò ſunt honorum quantauis culmina, ad quæ per tantum cruciatum & diuinæ plaſticæ dehoneſtationem aſpiratur? Actum latè eſt de honorum quorumuis noſtratium inanitate & caducitate, in Morali diſt. 1. à n. 147. Qui in ſummis verticibus conſident, & ipſa ſolia occuparunt, quàm reipſa ſint depreſſi ac calamitoſi, perpulchrè tradit Boetius 4. de conſ. metro. 2. & præiuerat Seneca l. de breuit. vitæ cap. 4. & 5. Optimè S. Gregoris 9. Moral. c. 21. ad illud *ſub quo curuantur, qui portant orbem.* Videnda quæ de Martyrio honorum, notantur in Opere de Martyr. p. 1. c. 6. *ad finem.* Et ibidem

ſuperiùs,

Digitized by Google

ſuperiùs, de aulicorum ærumnis ac ſorte triſtiſſima, quantumcunque prouehi videantur in aula, diffusè eſt dictum, ex ſuffragatione virorum qui ætatem propè vniuerſam in aula contriuerant. Accedit iuge periculum euerſionis & delapidationis laborum omnium, ob minimam occaſionem, plerunque acceptam potiùs quàm datam; vel etiam ob leuem ſuſpicionis vmbram, & exerrationem eorum, à quibus ſors diu dilata pendet. S. Chryſoſtomus in hoc campo exſpatiatur l. 1. ad viduam iuniorem *ſub finem*. Dicant ergò, qui ſibi per exectionem aditum ad aulas & ſomniata faſtigia parant, quod duo illi aulici apud Auguſtinum 8. Confeſſ. c. 6. per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Quàm multi ſpe vana diutiſſimè ſuſtentati, dormientes ſomnum ſuum, nihil inuenerunt in manibus ſuis? Non ſanè omnes in aulam irrepentes, potiuntur tam auidè captata promotione. Qui per indignitates & demiſſiones generoſo pectori vix deuorandas, decreſcentes pertigerunt ad præconceptum gaudium, atque apparens cremen-tum, quàm ſint ea bona ſtuporata atque volatica caſu ſuo docuerunt. Teſtes, Plautianus, Seianus, Ablauius, Cyrus Panoplita, Aluarus de Luna, Concinus, alij. Eſt igitur (vt aiebam,) inſania non falſa ſed vera, contra Dei ſtructuram facere, intendendo in has vanitates. Tempero nūc pluribus; quia omnia propè, §. ſequenti adducenda contra exectionem, ex oſtentata ſpe promotionis alteriùs, æquè hìc locum habebunt.

11. Obiter tantùm addo, interrogandos eſſe qui ſpe promotionis in aula, exſectionem virilitatis admitti potuiſſe exiſtimant, probatane illis fuiſſet, aliarum quarundam corporis partium auulſio ad fauorem Principis ea via colligendum. V. G. apud varias nationes, naſi ſimitas acceptior eſt. Quid ſi ergò aliquis, vt in aulam alicuius talium nationum Principis admitteretur naſum ſibi detruncare, & arte ſimum ſe efficere aggrederetur, num laudandum & grauis noxæ expers eſſet conſilium? Iuſtiniano Rithnometo naſus à rebellibus exciſus eſt. Non rectè feciſſet, qui in ea aula Principi placiturus, eíque ſimilis futurus, ſe denaſaſſet; ſpe promotionis ad honores & ſortem optimam? Eam peruerſam æmulationem, per illece-



Digitized by Google

bram ſubuectionis in aula, nemo ſanus probauerit. At multò damnoſior eſt homini, exectio genitalium, quàm naſi; cum omninò notabile temperamenti & totius corporei habitus variationem inferat ademptio virilitatis; multóque maiorem, quàm truncatio naſi. Non poteſt igitur exectio genitalium, tametſi occultorum, honeſtari per ſpem nimium quantum ancipitem promotionis ad munera publica, & magnas opes: Et vt aiebat Claudianus ſupra adductus, nemo quantumuis pauper, (ſiquidem ſapiat, & rectè res æſtimet,) velit Eutropij Eunuchi potentiſſimi, in aula Arcadij potentiam, & opes immenſas, eius Eunuchiſmo commutare.

## §. V. *De exectione ob diuturnius vocis acumen, ad muſicos concentus neceſſarium.*

1. Exſectionis cauſæ hactenùs diſcuſſæ, ferè antiquatæ ſunt. vix enim nunc inuenitur, qui ad laſciuiæ compreſſionem, excidi velit: vel ſi pauci aliqui ex eo fine, nunc quoque excinduntur, tam rari ſunt, vt facilè numerentur. Ex alijs autem finibus propoſitis, nemo; planè inquam nemo, exciſionem nunc adamet. Inuenit tamen Satan, in hominis deformationem, ſin minùs cladem, ſemper intentus, prætextum alium, quo videatur honeſtari poſſe exciſio; nempè neceſſitatem vocis acutæ ad concentus Muſicos, qui tanto ſunt ſplendori in Dei Eccleſia, & ad honeſtam oblectationem adeò opportuni. Certum enim eſt, concentum Muſicum abſque vocibus acutis conſtare non poſſe. Vox autem exectorum, æquè ac puerorum & fœminarum, acuta eſt, vt ſupra prolatis cauſis demonſtratum ex Ariſtotele ſect. x1. probl. q. 16. & 34. ac 65. itemque ex Macrobio lib. 7. Satur. c. x. ac Ludouico Cælio l. 19. c. 12. Cum igitur fœminas in ſacra Odæa inducere nulla ratione fas ſit; quin etiam earum cantus extra templa, ſit inſidioſus & multipliciter à Patribus improbatus, vt dictum eſt tractando ſobriam frequentationem alterius ſexus: puerorum autem ſymphoniacorum ætas infirma, citò præteruolet, ita vt vix ritè edocti quæ ad Muſicam ſpectant, voce cum ætate mutata, vltra non poſſint

eſſe vſui ad canendum acutè; commoda ratio initur in longum proferendæ quoad hoc gracilis eorum vocis, interpoſita exectione. Dubitatum verò eſt, an exectio in hunc finem, ſit licita. Qua in dubitatione, duæ fuere ſententiæ.

2. Vna affirmat, licitam eſſe exectionem ea de cauſa; dummodò puer ſit iam ſui iuris, & rationis vſu ſufficienti potiatur, ac in exectionem conſentiat; quia cum per exectionem excludendus ſit à coniugio, iuxta declarationem Sixti V. nec ſit abſque diſpenſatione admittendus in clerum; non eſt iuſtum, tale incommodum inferri inuito. Quæ ratio æquè conuincit, infantes nondum rationis vſu potientes, non poſſe à parentibus exſecari, aut quomodolibet euirari. At ſi puer edoctus commoda conſecutura exectionem annuat; ſunt qui exiſtimant, fas eſſe eos exſecare, (ſecluſo ſemper morali periculo vitæ, quod nunc in tanta tonſorum peritia, vix eſt timendum.) Ita Salonius 2. 2. q. 65. art. 5. controu. 2. Trullench. l. 5. in Decalog. c. 3 dub. 4. n. 4. Sayrus (vt videtur,) l. 7. Clauis c. 9. n. 38. neç videtur abhorrere Mendoza in 1. Reg. c. 8. verſu 15. num. 9. nam accenſet hanc caſtrandi cauſam, honeſtioribus. Sed pugnat pro ea ex inſtituto Paſqualigus deciſ. 498. & in qq. Canon. centur. 1. q. 100. vbi adducit Thomam de Afflictis, voce tenus affirmantem, ob conſuetudinem, in vrbe (ſaltem tacitè,) approbatam.

3. Fulcit eam conſuetudinem Paſqualigus, (nam cæteri vix extremis digitis hoc punctum attingunt,) ratione ducta ex eo quod tametſi homo non eſt Dominus ſuorum membrorum; tamen ad vnumquemque pertinet, diſponere de eis ad bonum & perfectionem totius; ac efficere, vt membrum minùs dignum & minùs corpori neceſſarium auferatur, ſi ita expediat toti: Vnde ſi manus eſſet arefacienda, vel corripienda cancromate, honeſtè & conſentaneè ad naturalem exigentiam abſcinderetur, ne membrum putre, corpori toti inferret exitium. Quia ergò conſeruatio vocis acutæ, & organorum ad eius efformationem neceſſariorum perſeuerans aptitudo, eſt aliquid homini vtilius & dignius, quàm partes generationi deſtinatæ, meritò hæ partes auferuntur, ſi earum incolumitas



Digitized by Google

obſtat quominùs homo organa vocis acutæ retineat, quibus tanta vtilitas, & tanta dignitas inter mortales poteſt homini obuenire. Nam cum ipſa per ſe inſtrumenta vocis ſunt aliquid eximium, & Dei fabricatoris artem præferens, ( vt Theodoretus orat. 5. de prouid. & alij adducti in ſcalis ad Deum gradu x I. *pag.* 326. demonſtrarunt; ) & hominis à brutis per vocem ſeiunctio confirmat; quod de partibus genitalibus dici non poteſt: Tum ſigillatim vox acuta, quod abſque ea concentus Muſicus ſubſiſtere nequeat, precioſum quid eſt, & diuini cultus ſplendori peropportunum, ac apud viros Principes magnæ æſtimationis: Vnde homini execto, qui tota vita eam ſit ſeruaturus incolumen, facilè obueniunt & à principibus opima ſtipendia, & in Eccleſijs pingues præbendæ, quibus vita cum ſplendore exigi queat, nec abſque cognatorum egentium ſubſidio. Quæ hominis æſtimabilitas & prouentus, non eſt quod à didymis incolumibus ſperetur. Hæc eſt præcipua ratiocinatio Paſqualigi; è qua confici putat, rectè ac vtiliter gerere negotium totius, qui teſtes exſecari vult, vt organa vocis acutæ conſeruet. Nam hac ratione, vt vitetur maius malum, ( quale eſt diſpendium vocis acutæ, è qua tanta commoda ſperari poſſunt, & inſignis præcellentia atque æſtimatio obtineretur; ) eligitur minus malum, nempè ablatio teſtium per exectionem. Suppoſita enim electione ſtatus, minus malum eſt carere didymis, quàm ſuaui voce, qua quis inter viros præcellentes & magnis præmijs conquiſitos numeretur. Semper autem licitum eſt minus malum præeligere, vt maius declinetur, vt probant Sanches l. 2. de Mart. diſp. 39. n. 12. Rodr. Cunha in. 1. p. decreti diſt. 13. c. *duo mala* n. 3. & ibidem Barboſa n. 8. Tandem de eiuſdem Paſqualigi ſententia, exectionem in euentu propoſito eſſe licitam, ſuadet commune bonum. Quilibet enim ordinatur ad bonum communitatis, vt pars ad bonum totius, iuxta D. Thomam 2. 2. q. 16. art. 1. q. 64. art. 2. & 5. Communitas autem magnam omninò vtilitatem percipit ex perfectione Muſicæ, qua affectus componuntur iuxta Plutarchum l. de ſuperſt. & diuinus cultus in Eccleſijs cum ſplendore debito & populi ædificatione obitur. Peropportunum ergò eſt, vt ſint qui exſe-

Digitized by Google

cari velint, ob bonum publicum, & ſuam priuatam vtilitatem. Et ita fert praxis Romana in oculis curiæ. Hæc caſtratorum cauſam agens Paſqualigus.

4. Contrariam ſententiam cenſeo omninò veram. Sunt in ea è recentioribus Card. de Lugo Tomo 1. de Iuſtitia diſp. x. ſect. 1. n. 21. Tannerus 2. 2. diſp. 4. q. 8. dub. 5. n. 101. Layman l. 3. Tract. 3. de pœnis Eccleſ. V. *membrorum mutilatio* §. *amplio ſecundo*. Bonac. diſp. 7. & cenſu. q. 2. p. 2. n. 34. Lazena V. *homicidium* n. 4. & V. *irregularitas* n. 75. Diana (aliàs anceps) parte 6. Tract. 8. reſol. 36. & 3. p. tract. 5. reſolut. 38. Hermannus Buſenbaum lib. 3. Medullæ Tract. 4. c. 1. dub. 1. Ghilinus in ſumma V. *Caſtratio*. Megala Tomo 2. Prompt. V. *Eunuchus* n. 2. Thomas Hartado. t. 2. reſolut. 38. moral. tract. 12. n. 758. Ghianes in ſumma Cenſûr. V. *Eunuchus* n. 5. Rangolius 1. Reg. ad v. 15. vocans hoc *inuentum planè nefarium*. Ex Canonum interpretibus Turrecr. in c. *ſi quis à Medicis* diſt. 55. Præpoſitus ibid. num. 1. Geminianus num. 2. Belletus diſquiſ. cleric. p. 1. tit. de diſcipl. Cleric. §. 7. n. 12. Barboſa in Collect. ad c. *ſi quis abſciderit*, d. 55. n. 1.

5. Fauet Eccleſia, quatenùs Eunuchos hoſce factitios non per iniuriam, ſed vltroneos atque adeò iſtos de quibus agimus, habet pro irregularibus videtur hoc negare Caſtro Paluu t. 6. diſp. 6. p. 12. n. 4. quia iſti non admittunt hanc ſui minutionē, ex ſæuitia in ſeipſos: & quia non abſcindunt ſibi verenda, ſed tantùm didymos, cum tamen iura inducentia hanc irregularitatem, loquuntur de ijs tantùm, quibus verenda ſunt abſciſſa. Sec hæc omnia ſunt falſa vt liquet ex S. Athanaſij ad ſolitar. expoſtulatione, de promotione Leontij, qui ob exectionem erat irregularis, & idcircò fuerat de Presbyterij gradu deiectus. Et eædem fuere querelæ Demetrij Alexandrini de Origene promoto in Presbyterium poſt exectionem, vt narrat Euſebius 6. hiſtor. c. 7. & S. Epiph. hæreſ. 64. Nec eſt audiendus Petrus Hallaix, referens has querelas ad liuorem Demetrij; quæcunque enim fuerit eius mens, querela tamen in foro externo iuſta erat: neque Aduerſarij Demetrij exceperunt quod recens excipitur. Ergò hi Eunuchi, habentur in Eccleſia pro irregularibus, nec vllum eſt caput, ad quod hæc irregularitas perti-

Digitized by Google

nere poſſit, præter deformationem illicitam. Nam irregularitas iſta, non eſt ex corporis vitio; quia alioqui Eunuchi nati, aut per violentiam abſque ſuo aſſenſu facti, cum corpus ſimiliter affectum habeant, eſſent ipſi quoque irregulares, quod falſum eſt, vt ſupra vidimus, ex Can. 1. Nicæno. Non eſt item hæc irregularitas ex defectu lenitatis, qui tantùm ſpectat cooperantes executioni iudicij publici erga noxios. Ergò eſt ex deformatione illicita, vt rectè ſtatuit Layman ſupra adductus ex l. 1. tract. 5. parte 5. c. 7. n. 5. & Baſſæus V. *Irregularitas* 2 num. 14. Atque ita Eccleſia irregularitatem inurens ob hanc deformationem, tanquam illicito opere inductam, ſuffragatur noſtræ aſſertioni. Eodem modo vrgeri in hanc rem poteſt autoritas Eccleſiæ, & Patrum conclamantium in exectionem ob immunitatem à tentationibus carnis. Ea enim exectio, non eſt mala quia prohibita; ſed è contrario prohibita eſt, quia verè eſt mala. Atqui multò maius eſt bonum ſpirituale quod ea mutilatione captatur, quàm bonum temporale captatum ab Aduerſarijs, ad honeſtandam exſectionem pro conſeruatione vocis acutæ. Quantum enim bonum hominis eſt, vno ictu à ſe recidere hoſtem inteſtinum, qui tota vita, irrequieta prælia ciebit aduersùs ſpiritum, cum aperto diſcrimine ſalutis æternæ, ſi homo per fragilatem ſinat ſe deliniri, & cedat illecebræ? Poteſt quidem homo alia via, hoſtem illum comprimere; ſed quotus eſt qui in tam diuturno & tam acri certamine, numquam allidatur? At ſubtracto hoſte domeſtico per exectionem, tenuatur admodùm difficultas reprimendi laſciuiam intùs in animo aliquid mouentem; præſertim iuxta Paſqualigum, qui impacta grauiſſimis Patribus ſupra adductis mentione, ait exectos vix laborare in genere caſtitatis, ſed leuibus ad ſummum certaminibus defungi; nec verum eſſe quod acriùs quàm integri ſtimulentur ad libidinem, quicquid dicant Baſilius atque Chryſoſtomus.

6. Igitur quiſquis ſuæ ad caſum pronitatis conſcius, præſertim iam per ſtatum initum non liber ad coniugium, in quod veluti in portum à fluctibus tentationum ſubire poſſit (vt loquitur S. Chryſoſtomus lib. de Virginitate c. 9. & S. Gregorius

in Paſtorali parte 3. admonitione 28.) alia remedia abs ſe vſurpata non eſſe optatum effectum ſortita deprehenderet, obligandus eſſet ad exectionem, vt adipiſcatur tantum bonum, quantum eſt in tuto locare caſtitatem, & ſaltem vnum ſcopulum è tam multis, ad quos plerique omnes naufragant, declinare; quod tamen Eccleſia anathematizat. Licitum autem omninò foret, ſi captatio boni temporalis quod oſtentatur; (taceo quàm certò, aut etiam quàm probabiliter;) liberam faceret poteſtatem aſſumendi exectionem. Indemnitas enim illa à tentationibus, qualiſcunque ſit, eſt bonum ſuperioris ordinis, & longè optabilius quàm omnia lucra temporalia, ordinis inferioris; quia nihil eſt ſiuè in diuitijs, ſiuè in honoribus & æſtimatione humana, quod conferri poſſit cum eo bono quod ſalutem collocat in tuto, vel ſaltem à magno naufragij diſcrimine elongat: quo non obſtante, tot & tam validis interdictis eliminata eſt ea captatio indemnitatis ab œſtro luxuriæ. At (inquiunt,) Eccleſia hoc toties prohibuit, quia ſunt nobis prouiſæ viæ reſiſtendi tentationibus; nimirùm ſacramenta, & oratio, ac repreſſio ſenſuum, & deuitatio occaſionum. Benè; ſed numquid omnes viæ præcluſæ ſunt hiſce cantoribus captandi bona temporalia, ita vt nulla illis ſuperſit alia præter exectionem? Quod ſi hæc illis videtur expeditiſſima, certè ad tentationum quoque repreſſionem videri poterit apprimè expedita via eſſe, remouere hunc fontem caloris impuri, & frigiditatem corpori immittere ea ratione. Itaque Eccleſia, inconſultè, aut etiam inualidè, interdiceret eo remedio.

7. Poteſt præterea vrgeri pro vera ſententia cui ſubſcripſimus, autoritas tot Ethnicorum, etiam legiſlatorum, & iuris naturalis peritorum; quia non ignari quanta ſpes promotionis in aulis affulgeret Eunuchis, ob perſuaſionem inolitam fidei eorum, & in principum negotijs, & in cuſtodia Gynecæorum; tamen conclamauerunt potentiſſimè in exectiones, capitali ſupplicio exequentibus & vltrò admittentibus conſtituto, vt ſupra vidimus. Nec attendebãt exectionem aſſumptam contra laſciuiam, ſed præcisè exectionem. Quomodò igitur tot ſapientes clauſerunt oculos ad magna commoda tunc temporis

conſequi ſolita exectiones, vt nihilominus eas adeò áuerſarentur & execrarentur? Sanè tūc agebatur de ſtipendio menſurno vel annuo, quod videmus præberi Cantoribus, aut Muſicis, etiam ſymphoniæ moderatoribus, ſiuè in Eccleſijs maioribus, ſiuè in aulis Principum. Neutrobique enim Muſici admodùm nunc prouehuntur: ſed tunc agebatur de faſtigijs honorum, vt de Conſulatu, & Magiſterio militiæ, & allectione ad intima conſilia. Agebatur præterea de muneribus, per quæ corradi poſſent immenſæ opes; ita vt Claudianus l. 1. Eutropium Eunuchum ſub Arcadio omnia gerentem, populos venales ſub haſta poſuiſſe dicat, eique Pactolum fluxiſſe, & Hermum; & pinguiſſimas hæreditates ab Attalo & alijs à Romana vrbe cui obuenerunt, ad Imperatores tranſgreſſas, tot opes ex prouinciarum innumerabilium ſpolijs per ſtrenuiſſimos duces congeſtas, & in triumphis prælatas, in ſinum huius vnius ſpadonis confluxiſſe, dementato Arcadio. Nec aliter de alijs pleriſque potentibus Eunuchis, rerum in aulā potientibus, dicere licuit. Et tamen iura ſeueriſſima quæ ſupra retulimus, exectionem, (etiamſi tantæ ſpei matrem,) ſunt execrata, & ſeuerè vlta. Igitur oſtentatio tenuis ſortis, Muſicis per exectionem fortè obuenturæ, non honeſtat exectionem.

8. Recolendæ hìc ſunt rationes omnes quibus cap. præcedenti §. 2. euictum eſt, exciſionem vltrò admiſſam ſordere, quippè naturæ autori iniurioſam, quaſi non benè capagem humani corporis formauerit, cui aliquid excidendum ſit: Item iniurioſam ſpeciei humanæ, cuius propagatio impeditur, obſtructis fontibus vnde profluit ortus noſter; ita vt quantum eſt ex vi exectionis, terminus viciſſitudini generationum ponatur, & mundo clauſula inferatur. Denique iniurioſam perſonæ ſingulari quæ exſecatur, & amittit integritatem ſuam, cum qua coniunguntur tot & tanta corporis & animi bona ſuperiùs recenſita cap. 3. §. 1. & cum cuius clade, conciliantur homini tot & tanta mala, de quibus actum ibidem eſt §. 2. Nec inter ea mala reticendum videtur, quod homo per Eunuchiſmum excluſus à coniugio, præcludit ſibi viam honeſtam, & cuiuis realiter aut myſticè non exciſo patentem, mitigandi tentatio-

nes

Digitized by Google

nes, carnis, & releuandi naturam, per vſum connubij ſancti in thoro immaculato; quod bonum eſſe non exiguum, agnoſcunt Doctores, cum dicunt, finem matrimonij ſecundarium, eſſe afferre remedium concupiſcentiæ. Vnde matrimonia ſterilium ac ſenum, quamuis deſit ſpes finis per ſe primùm intenti in coniugio; nempè ſuſceptionis liberorum, valida ſunt, dummodò facultas ferendi aruum huius culturæ, non deſit, vt benè confirmat Barboſa lib. 1. p. 1. num. 98. ff. *ſoluto matr.* ac cum S. Thoma, & alijs, Sanches l. 7. de Matr. d. 92. n. 26. ex eo fundamento, quod coniugium, ſin minùs ſit in officium naturæ, eſt tamen in remedium concupiſcentiæ; de quo coniugij hominem releuantis effectu, ſcitè D. Chryſoſtomus lib. de Virg. cap. 9. At hoc remedio leniendæ concupiſcentiæ, priuatur qui exectus eſt. Vnde ſi contingat vt iactetur illis fluctibus, quos S. Chryſoſtomus hom. 63. in Matth. in Eunuchis pluſquàm in integris furere agnoſcit, etiamſi voto non ſe illigauerit, non poteſt ſibi per coniugij vſum ſubuenire; ſed cogitur internos illos decumanos, tempeſtatéſque ſonoras excipere, quod non debet videri tenue incommodum.

9. His perſuadeor, exectionem ad vocis acumen diuturnum, eſſe nouum Satanæ artificium, ad Eunuchiſmum reducendum; & diuinæ plaſticæ ac humanæ integritatis iniuriam, obſtructis ferè alijs capitibus exſecandi ſupra diſcuſſis, colore honeſti inſtaurandam. Scio, Græcos tempore Balſamonis, vt ipſe ſcribit ad Canonem 4. Trullanum, huic lanienæ ex fine cantus fauere viſos, cum totus chorus cantorum apud eos, eo tempore conſtaret Eunuchis, contra antiquum morem, vt ibi fatetur Balſamon. Ea tamen erat Græcæ Eccleſiæ conditio, tempore Balſamonis, hoc eſt ſub annum 1300. vt non poſſit multùm ſua autoritate grauare aduerſantes eius vſibus. Omnia quippè tunc temporis, apud Græcos ſcatebant erroribus & abuſionibus, inter quas facilè potuit obrepere hæc quam impugnamus. Quanquam non video, quis denique concentus ex ſolis Eunuchorum vocibus poſſet exiſtere, cum ad ſuauitatem Muſicæ, præter voces acutas, aliæ exigantur graues & depreſſæ, ab Eunuchis cantoribus abhorrentes; ita vt virgines



Digitized by Google

ſacræ, ſi quandò melodiam congruentem adornare velint, cogantur adhibitis grauis ſoni organis, ſupplere quod melodiæ ex ſolis earum acutis vocibus deforet; nec vnquam pertingant ad plenum atque perfectum Muſici chori inſtructũ; qualem viri integri, paucis pueris ſymphoniacis admiſtis efficiunt.

10. Reſtant eligenda, quæ pro contrario placito ſunt propoſita. Adducebatur inprimis conſuetudo Romana, tacitè, ( vt aiunt ) approbata, & in Curiæ oculis vigens, de exſectione ad finem concentuum Muſicorum, quos aduerſarij ſupponunt ruituros, niſi pueri exſecarentur. Mihi tamen hoc incommodum videtur ſatis ludicrum: tum quia non eſt tanti, mulcere aures concentus affabrè conſtructi, & in ſonum melodum mox tranſilientem efformati, concinnitate; vt propterea deformanda ſit natura hominis, vt fit per exectionem: Tum maximè quia pueris per ætatem vocem mutantibus, ſuccedere poſſunt alij pueri. Neque enim ſiccata eſt humani generis vena; ita vt quibuſdam ætate & corporis habitu, atque adeò etiam voce mutatis, alij non ſubſequantur, qui partes ei ætati congruas in concentu Muſico poſſint explere. Et horum ſubinde ſuffectorum iuribus, officeret ea artificioſa perpetuatio pueritiæ, per exectionem curata in cantoribus annoſis: quos proinde par erat integros perſeuerare, & mutata cum annis voce, ſubſequentibus lampadem tradere. Itaque fundamentum Romanæ conſuetudinis, ex prætenſa Muſicæ vaſtitate ductum, eſt planè ruinoſum. Ipſa verò praxis, non video quanto iure dicatur approbata. Non enim omnia quæ Romæ fiunt, inſcijs vel ſilentibus Pontificum adminiſtris, eo ipſo cenſenda ſunt probata; præſertim cum omninò multa iura ſunt in contrarium. Leges ſiquidem Ciuiles, vbi per Canonicas non ſunt emendatæ, habent Romæ locum. At multæ leges Ciuiles corporis iuris inſertæ, vetant exectionem. Quomodò ergò contra tot expreſſas leges, probata tacitè dicitur exſectio? Num quia toleratur, & impunè peragitur? Hàc verò ratione, pleraque coram Deo & hominibus fœtentia, dicerentur Romæ tacitè approbata. Multi Romæ filias ſuas proſtituunt, ſilentibus maioribus, nec facinus indignum plectentibus. An idcircò ea

iniquitas purgatur. Sunt Romæ qui inſcijs diſciplinæ publicæ curatoribus, vxorum ſuarum lenones agunt. Neque hoc idcircò honeſtum eſt, aut tacitè approbatum. Aliqui ibidem nundinantur ſacra, nec plectuntur quia non aduertuntur. Eſt tamen res execranda, non tacitè probata. Turmæ iuuenum & puerorum, in monte Pincio & alibi, impetunt ſe lapidibus, ſpectaculo planè fœdo; quod vt in Africę quodam loco aboleret D. Auguſtinus, eò profectus eſt, & fœliciter rem confecit; tametſi vſus erat inolitus, vt ipſe ſcribit lib. 4. Doctr. Chriſt. cap. 24 Ei barbaricæ truculentiæ; qua magno cum publicæ rei & literarum damno monoculum effectum virum præcellentis ingenij Ioannem Baptiſtam Blancardum recolo; dic acceſſiſſe tacitam approbationem, à dormitatione eorum qui grauioribus intenti, ad eas epheborum, ac puerorum damnoſas ineptias, oculos non adijciunt. Itaque ſimiliter, ſi adminiſtri Pontificum, ad quos attineret exectionem Deo & generi noſtro iniurioſam plectere, deſint muneri ſuo, quia rem fieri ignorant, venia digni ſunt in tot curis. Si quia ob inolitum abuſum rem non putant malam, rogandi ſunt vt hoc conſiderent, & momentis ſuis æſtiment. Facultatem autem ſanis ac innoxijs concedere ſe exſecandi, qualem olim dabant Præſides Ethnici, (vt eſt apud Iuſtinum in Apol. ad Antoninum,) ſolus Deus poteſt, qui ſolus eſt membrorum hominis Dominus. Quare non poteſt contra leges vigentes, obtendi approbatio tacita, quæ ſanorum & innoxiorum exectioni ſuffragetur.

11. Reliqua adhibita in Paſqualigi ratiocinatione, vix egent diſcuſſione. Comparatio enim quam inſtituit, inter organum benè affectum ad formandam vocem acutam, & didymos, exſibilabitur à Medicis; qui didymos habent pro parte non modò nobiliſſima, ſpectato fine propagandæ ſpeciei cui addicuntur, ſed etiam pro parte primaria; quia ad bonum ſtatum corporis, exquiſitè fructuoſa eſt, vt ſupra eſt demonſtratum cap. 3 & 4. §. vtrobique 2. Itaque eo vſque partem illam corporis deiicere, vt non modò cum organis vocis abſolutè ſpectatis fieri poſſit eius contentio, (quod nunc non attendimus;) ſed etiam quoad dignitatem & nobilitatem, iaceat ſubtus or-



Digitized by Google

gana vocis, prout præciſè accommodata ad vocis acumen; eſt adeò ineptum, vt reiiciendum fruſtrà videatur. Fructus verò magni, ex montibus aureis ad vocem auctam conſecuturis, oſtentati ab Aduerſario nulla ratione componendi ſunt, cum commodis integritatem corporis conſequentibus quandoquidem bonus corporis habitus, eſt perfectio interna; præ qua nihili ſunt habenda extrinſeca bona quibus iuxta Senecam velut equus adornatur; neque tamen vllus adeò deſipiat, vt pluris equo eſſe velit aſcititium illum cultum à ſplendidis ephippiis, quàm boni equi habitum corporeum atque vigorem. Quanta verò ſit, opum & ſortis opimæ, ex ſeruato vocis acumine certitudo, ſupra eſt expenſum. Et ex ea expenſione, liquet, non eligi minus malum, neque meliùs conſuli toti, cum homo exſecatur, quàm cum integer perſeuerat, vt aduerſarius aſſumebat: Cui proinde autor fuerim, vt ſibi, & iis quos charos habet, captet auctiora illa bona; nec deinceps doceat vim iniici poſſe naturæ, (vt cum Ammiano loquar,) ad minutalia commodorum conſequenda, vel irrito plerunque çonſilio expectanda.

## CAPVT VI.

*De morali bonitate & malitia Eunuchiſmi ſpiritualis.*

NOn omnis Eunuchiſmus ſpiritualis, eſt ſanctus; atque adeò neque Deo acceptus, & piis probandus; ſed is duntaxat qui vndecunque nitet, qualem deſcriptum & propugnatum venio.

### §. I. *De Eunuchiſmo myſtico, ſancto & probato.*

1. Agimus de Eunuchiſmo myſtico propriè ſumpto. Nam hìc non moramur proportionalem quendam Eunuchiſmum myſticum, aſſignatum à Nazianzeno orat. 36. vbi proponit

Digitized by Google

Eunuchiſmum myſticum triplicem : Primum, natiuo Analogicum, quo quis ſortitus eſt animam bonam. Secundum factitio reſpondentem, quo quis adiunctus ab alio, purgatur à peccatis. Tertium eorun qui ſibi ſunt Magiſtri, habetque proportionem cum ſui exectione propter regnum cœlorum. Hanc myſticam Eunuchiſmi acceptionem, hic non attendimus; ſed eam duntaxat, quæ expoſita typo eſt cap. 2. §. 3. conſiſtítque in voto continentiæ, ſponte emiſſo in Dei honorem. Proſper l. de Promiſſ. p. 1. cap. 14. putat eum eſſe adumbratum in circumciſione. Frequentius tamen circumciſio adumbraſſe aliud cenſetur.

2. Ringuntur & fremunt ad huius Eunuchiſmi vel ipſum nomen, Sectarij, quibus continentia voto firmata, habetur pro crimine, cum repugnet, ( vt volunt, ) ipſi naturæ, idcircò diuinitùs ſortitæ diuerſitatem ſexus, & inſtructæ facultate generandi, vt ſe multiplicet & repleat orbem, quod cum continentiæ voto non cohæret. Infertur igitur per hoc votum, ( iuxta ſectarios, ) vis naturæ, & propenſioni à Deo nobis conſertæ, ad propagationem ſpeciei. Et idcircò Manichæi, teſte D. Auguſtino lib. contra Adimantum cap. 23. Chriſti oraculum de ſpadonibus ſiuè continentibus, collidi aiebant cum illa iuſti benedictione apud Pſaltem, *vxor tua ſicut vitis abundans.* Idem effutijt, ventris, & eorum quæ ad ventrem ſunt, turpis verna Iouinianus, referente ac refellente S. Hieronimo libro aduerſùs eum primo : Hoc ipſum, hodierni ſectarij perpetuò ingerunt; & ſtrenuè antecurſor eorum Eraſmus, in profano Matrimonij Encomio, & in colloquio proci ac puellæ. Sed & incontinentes Sacerdotes, tempore Gregorij 7. in ſanctiſſimum illum Pontificem, petulantiſſimè bauhati ſunt hac ipſa de cauſa: cauſati maximè, quod rem tam arduam, támque aduerſantem propenſioni naturali, vt Chriſtus ipſe de ea diceret, *qui poteſt capere capiat*, ipſe ſacris hominibus neceſſariam faceret, & ad eam amplexandam adigeret. Lambertus Schaffnaburgenſis in illius æui Chronico, quàm impatientiſſimè ferrent impuri myſtæ, laſciuiæ ſuæ imponi fibulam, ſic expreſſit. [ Hildebrandus Papa, cum Epiſcopis Italiæ conueniens, iam frequentibus ſyno-

Digitized by Google

dis decreuerat, vt ſecundùm inſtituta antiquorum Canonum, Presbyteri vxores non habeant; habentes aut dimittant, aut deponantur; nec quiſquam omninò ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitámque cælibem profiteatur *&c.* Aduersùs hoc decretum, protinùs vehementer infremuit tota factio Clericorum: hominem, planè hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait, *Non omnes capiunt verbum hoc; qui poteſt capere capiat*; Et Apoſtoli, *Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere quàm vri*, violenta exactione homines viuere cogeret ritu Angelorum; & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium, quàm coniugium deſerere; & tunc viſurum eum cui homines ſorderent, vnde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus, Angelos comparaturus eſſet.] Denique petulantiſſimè (vt alios prætercam) Heningus Arniſæus cõmentario de jure connubiorum ſect. 7. in ſpiritualem hunc Eunuchiſmum, & eius profeſſores bauhatur.

3. Omnibus tamen ſynceris Catholicis, indubitatum eſt, eunuchiſmũ ſpiritualem, qui voto continentiæ tanquam hominis per ſeipſum exciſione continetur, ſanctum eſſe & approbandum; neque euertere naturalem inclinationem, qua homo vi ſuæ compactionis fertur in ſpeciei propagationem: ſed potiùs perficere eam inclinationem naturalem, aſſumendo illam in materiam diuini cultus, admodùm acceptam ipſi Deo ac perhonorificam, præ difficultate quam homo in eius gloriam generoſè ſuperat. Plenas acies probationum ad huius veritatis confirmationem educunt, qui cælibatum voto conſecratum aſtruxerunt; nominatim Claud. Eſpencæus, Michael Medina. Theodorus Peltanus, Albertus Pighius, Cunerus Petri, Marquardus de Suſannis, Iodocus Clyctouæus, Robertus Cenalis, Conradus Koëllin, iuſtis de continentia, aut de cælibatu Sacerdotum tractationibus. Item Bellarminus l. de Clericis à cap. 18. ad 24. & lib. de Monach. à c. 22. ad 34. Pamelius ad librum Tertulliani de exhortat. Caſtit. cap 8 Coccius t. 2 l. 4. artic. 4. & lib. 8. artic. 6. alijque abſque numero. Et verum

quidem eſt, melius eſſe nubere quàm vri. Sed hoc de ijs tantùm dicitur, qui per votum emiſſum non ſunt abſciſſi, vt optimè tradit S. Chryſoſtomus lib. de Virg. c. 9. Breuiter his verbis S. Gregorius 3. p. paſtor. admonit. 28. [ Sine culpa ad coniugium veniunt, ſi tamen necdum meliora vouerunt: Nam quiſquis bonum maius ſubire propoſuit, bonum minus quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippè eſt, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno cælorum.* Qui igitur fortiori ſtudio intenderat, retrò conuincitur reſpicere, ſi relictis amplioribus bonis, ad minima retorquetur. ]

4. Placere Deo ſpiritualem hunc Eunuchiſmum, atque adeò ab homine cum laude ſuſcipi, conſtare poteſt, cum ex alijs quæ Hæreſeologi proximè annotati addenſant; tum inſigniter ex præmijs omninò præcellentibus, quæ Deus ipſe ſpondet Eunuchis hiſce myſticis, qui rem tantam, támque ſublimem, etiam iniuſſu ſuo alacres ſuſcipiunt, & iuuante ipſo qui aſpirauerat, exequuntur. Locus egregius quo ſpondetur à Deo huiuſmodi ſacris ſpadonibus, luculentum præmium, habetur Sap. 3. v. 14. *Fœlix ſterilis*, ( inquit Deus per Salomonem, ) *&c.* & *ſpado qui non eſt operatus per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduersùs Deum nequiſſima. Dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.* Quæ verba omni melle & ſeſamo ſapidiora, ſacris ſpadonibus voto propter Deum ſe exſecantibus, videri debent. Chriſtophorus quidem Caſtro, poſt Hugonem & Thomam Anglicum, ſpadonem hunc, non accipit de continente ex voto; ſed de ſterili, qui cum ex vxore legitima liberos non ſúſceperit, non murmurauit aduersùs Dei erga ſe prouidentiam; nec tentauit in alieno campo ſerere, aut inquinare ſeipſum, peccando in corpus ſuum per manus nefariè polluentes corpus & animam, etiamſi abſque ſceleris participe. Tamen ea ſpadonis acceptio, minùs arridet; quia is qui alienum agrum poteſt excolere, etiamſi proprium habeat infrugiferum, non eſt ſpado, ſed ad ſummum, ſpadonatus tenet ſe ex parte vxoris, vt Zachariæ contigit; qui potens ex ſe erat, ſed ob ſolum vxoris vitium caruerat liberis. At ſapiens, viro ſpadoni conſtitutum præmium deſcribit. Igitur vir ſpado,

Digitized by Google

is eſt, qui continentiæ ſe addixit, eámque religioſè obſeruandam recepit, emiſſo voto, quales multos futuros per Dei gratiam, ſub nouo Teſtamento præuidebat, ſuſpirans ad eam fœlicitatem legis gratiæ, Sapientiſſimus Salomon. Tali ergò vltroneo ſpadoni, ſpondet dãdum à Deo fidei donum electum, & ſortem in templo Dei acceptiſſimam; quibus præmijs vix aliquid excellentius proponi potuit. Nam fidei, ſiuè fidelitatis ſuæ in carne ſeruanda incoinquinata, donum electum, accipiet huiuſmodi ſpado. In altera quidem vita, gloriam peculiarem, iuxta Lorini interpretationem: in præſenti autem tempore, guſtum ſpiritualium rerum, ex ſuaui cum Deo & Angelis familiaritate perfundentem vbertate conſolationis nitentem animam. Quæ eſt in templo Dei ſors acceptiſſima: id eſt, conſentaneè ad Græcum contextum, gratior & iucundior, quàm ſit ſors coniugatorum, qui tribulationem carnis habent, & in iugi ſenticeto, ac perpetuo martyrio degunt. Videſis dicta in eam rem p. 1. de Martyr. c. 6. Quod ſi *ſortem acceptiſſimam* accipere placeat, pro gradu honoris qui in Eccleſia verè templo Dei viui, defertur ſpadonibus myſticis, nihil crebrius apud Patres & ſacros ſcriptores, hac ſorte ſpadonum myſticorum. Nam etiam Regiæ ſublimitates, ijs accidunt venerabundæ, & omni honore proſequntur in Dei gratiam, tales eius ſeruos; quod de Conſtantino Magno erga ſacras virgines reuerentiſſimo, prodidit Euſebius lib. 4. vitæ cap. 28. & de S. Helena Ruffinus 1. hiſtor. cap. 8. Vniuersè autem de quibuſuis Deo mancipatis per emiſſum votum Religioſis, Hiero. Platus lib. 2. de bono ſtatus relig. cap. 37.

5. Aliud diuinum teſtimonium repoſiti myſticis ſpadonibus præmij, ſuppetit ex ipſa voce Domini per Iſaiam cap. 56. de futura in nobis gratia prænunciantis; tum ex oraculo Euangelico conſignato Matth. 19. quæ duo loca nectunt plerunque Patres, tanquam reipſa eodem pertinentia, & veros ſpirituales Eunuchos honore cumulantia. Audiamus nonnullos.

6 Tertullianus lib. de cultu fœmin. c. 9. manifeſtè ad hũc Matthæi locum reſpiciẽs, celebrat eos qui propter regnum cœlorum ſe ſpadonatui aſſignant, tam fortem & vtique permiſſam

voluptatem

voluptatem ſponte ponentes. Ad quem locum Pamelius n. 51. benè multa aliunde adducit ad huius myſticæ caſtrationis ſui ipſius, commendationem. S. Ambroſius in exhortat. ad Virgines. [ Integritas cosporis expetenda vobis eſt; quam ego pro conſilio ſuadeo, non pro imperio præcipio. Sola enim eſt Virginitas, quæ ſuaderi poteſt imperari non poteſt. Res magis voti, quàm præcepti. Quod enim gratiæ eſt, non iubetur, ſed deſideratur, electioniſque magis eſt, quàm ſeruitutis. Vnde & Apoſtolus dicit, *De Virginibus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino.* Legerat enim dixiſſe Dominũ ſpadonibus, *Quicunque cuſtodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectentur teſtamentum meum; dabo illis in domo mea & in muro locum nominatum, meliorem filiorum & filiarum; Nomen æternum dabo illis, & non deficient.* Meliorem (inquit,) locum vobis dabo; ſpadonibus dicit: his videlicet qui ſe reſecta genitali parte abſciderint. Ipſi ſunt ergò, qui habent in cœlo præmia cæteris præſtantiora. Hoc in Euangelio ſuo prædicat Dei filius. Dicentibus enim Apoſtolis, quia *ſi ita eſt cauſa viri, vt non liceat illi vxorem dimittere, niſi ex ſola cauſa fornicationis, non expedit nubere;* Reſpondit Dominus: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Hoc eſt, non capit hoc conditionis hamanæ infirmitas, vt omnibus pateat: Sed illis ſolis facilè eſt ad capiendum, quibus diuina refulſit gratia, vt caſtrare ſe poſſint, quo regnum cœlorum adipiſcantur.]

7. S. Auguſtinus lib. contra Adimantum cap. 3. [ In veteri Teſtamento, habent apud Iſaiam Prophetam quanta promittantur ſpadonibus, ne in nouo ſolo arbitrentur eſſe laudatos à Domino vbi dicit eſſe quoſdam qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum; & addit, *qui poteſt capere, capiat.* Nam & Eſaias ita dicit, *Hæc dicit Dominus ſpadonibus; eis qui cuſtodierint præcepta mea, & elegerint ſibi quæ ego volo, & capaces fuerint Teſtamẽti mei; dabo illis in domo mea & in muro meo, locum nominatiſſimum, meliorem multo filiorum atque filiarum: Nomen æternum dabo illis, nec vnquam deerit.* Certis enim quibuſdam vmbris & figuris rerum, ante Domini aduentum, ſecundùm mirabilem atque ordinatiſſimam diſtributionem temporum, populus ille tenebatur, qui

teſtamentum vetus accepit. Tamen in eo tanta prædicatio & prænunciatio noui Teſtamenti eſt, vt nulla in Euangelica atque Apoſtolica diſciplina reperiantur, quamuis ardua & diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint.] Inſigniter præterea locum Iſaiæ de ſpadonibus, cum loco Euangelico de Eunuchis ſe caſtrantibus propter regnum cœlorum, componit idem S. Auguſtinus l. de Sancta Virgin. à c. 23. ad 27. Sed eſt tam diffuſa diſputatio, vt adſcribi hoc loco nequeat.

8. S. Hieronimus l. 1. in Iouin. prolato ac librato Chriſti oraculo de Eunuchis ex Matthæi 19. addit ex perſona Dei. [ Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum. Mihi illi Eunuchi placent, quos caſtrauit non neceſſitas, ſed voluntas. Libenter illos in meos ſinus recipio, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum; & ob mei cultum, noluerunt eſſe quod nati ſunt. Simúlque tractanda ſententia; *qui ſe* ( inquit, ) *caſtrauerunt propter regnum cœlorum*: ſi caſtrati, mercedem habent regnum cœlorum; ergò qui ſe non caſtrauerunt, locum non poſſunt accipere caſtratorum. *Qui poteſt* ( inquit, ) *capere capiat.* Grandis fiducia eſt, grandíſque virtutis, templum Dei eſſe puriſſimum, totum ſe holocauſtum offerre Domino; & iuxta eundem Apoſtolum, eſſe ſanctum corpore & anima. Hi ſunt Eunuchi, qui ſe lignum aridum ob ſterilitatem putantes, audiunt per Iſaiam, quod pro filijs & filiabus, locum in cœlis habeant paratum. Horum typus eſt Abdemelec Eunuchus in Hieremia, & ſpado ille Reginæ Candacis in Actis Apoſtolorum, qui ob robur fidei, *viri* nomen obtinuit.] Præclarè item Chriſti oraculum, & ſponſionem Eunuchis factam per Iſaiam, componit in c. 56. Eſaiæ, monſtrans, Eunuchos quibus ſit ab Iſaia hoc promiſſum; non eſſe illos quos rebantur Hebræi carnales; nempè Eunuchos corpore exciſos de quibus dixit ardens Poëta, ( ſic Lucanum nominat quiſpiam. )

*Nec non infœlix ferro truncata iuuentus,*
*Atque excecta virum.*

Sed eſſe Eunuchos à Chriſto apud Matthæum c. 19. laudatos, regno cœlorum vim facientes, & cuſtodientes ſabathum Domini, quia ceſſant ab opere nuptiarum; qualem Eunuchum

Digitized by Google

ait S. Hieronimus, fuiſſe Ioannem, dilectum diſcipulum, cui in virginitatis præmium, multa ſunt collata ornamenta.

10. S. Baſilius l. de vera Virgin. confert ipſe quoque, locum Iſaiæ de Eunuchis, & oraculum Chriſti de iiſdem: diffusè monſtrans, in hos à Chriſto collaudatos Eunuchos, cadere promiſſa illa per Prophetam prænunciata; Vnam denique vtroque loco contineri ſententiam: niſi quod Chriſtus diſtinctiùs ac in ſpecie expreſſit, quæ Iſaias generaliter tantùm & vniuersè de Eunuchis myſticis continentiæ voto deuinctis tradidit. Illorum verò præmiorum quæ Iſaias deſcripſit, longam expenſionem adhibet idem S. Baſilius; quámque glorioſum ſit nomen quod Deus illis in domo ſua tribuet, eximiè æſtimat; & denique concludit. [ Talibus itaque præmijs digni inuenientur in regno, ſacri ac ſpirituales huiuſmodi Eunuchi. ] Autor imperfecti in Matth. Homil. 32. pulchrè ipſe quoque, in hanc rem diſſerit; & Naz. orat. 31.

11. Eunuchis ergo ſpiritualibus à Domino apud Matthæum celebratis, de tot Patrum ſententia, ſpondentur apud Iſaiam præmia illa inſignia quæ in Euangelio, voce in veteri inſtrumento nũquam expreſſa, ( vt obſeruauit S. Hieronimus epiſto. 129. ad Dardan. & Chryſoſtomus ad illud Matth. 3. *Appropinquauit regnum cælorum*, ) inſinuantur vocibus *regni cælorum*. In eo accipient hi Eunuchi locum optimum in domo Dei, & in muris quos non perrumpit iniquitas. Nam & hìc in Eccleſia clari ſunt, tanquam portio lectiſſima gregis Chriſti, vt eſt apud Cyprianum l. de diſc. & hab. Virg. & vt Chriſti monilia, iuxta S. Ignatium Epiſtola ad Antiochenos, ac Epiſtola ad Heronem. Et præterea in cœlo locum ſortientur cæteris paribus longè ſublimiorem, quod S. Hieronimus in Iouiniani confutatione, excellenter proſequitur. Nomen autem melius à filijs & filiabus, quamuis à Caſſiano collat. 22. c. 6. accipitur de eo ipſo ſublimiore in cœlis loco, quàm ſit coniugatis aſſignandus, quod eſt nomen aliud ( iuxta eundem Eſaiam cap. 65. ) quo Deus ſeruos ſuos eſt vocaturus, in quo qui benedictus eſt ſupèr terram, benedicetur in Deo Amen: Nihilominùs commodiùs accipitur de nomine, id eſt, de progenie ac filijs, iuxta illud 2. Reg. 14.

*quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram.* *Nomen* id eſt, filius, nomen patris trahens cum ſanguine. Clarè item Martialis lib. 6.

*Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iulo,*
*Vera Deûm ſoboles, naſcere magne puer.*

Et hic quoque, *nomen* pro *filio* ſumitur: pro qua acceptione vocis *nomen* multa adducit Martinus de Roa t. 1. lib. 3. cap. 14. & breuiter Hieron. in Pſal. 74. *Omnis* (inquit) *filius, nomen eſt Patris*. Longè meliores ergò ſortientur à Domino filios hi Eunuchi, quàm ſint filij carnis, plerunque facti parentibus in crucem ac ſudes oculorum. Hi filij ſunt, vel ſancta opera quæ edent magna cum vbertate; quippè non diuiſi, ſed cogitantes tantùm quæ Domini ſunt. Agit præclarè de hac prole prima ſpirituali S. Bernardus ſerm. 85. in Cant; vel certè filij illi ſpiritualium Eunuchorum ij erunt, qui illecti tantæ virtutis fragrantia, arripient ipſi quoque ſimile inſtitutum. Nam vt qui ab alijs verbo aut exemplo erudiuntur, dicantur filij eius, cuius inſtitutione proficiunt, notiſſimum eſt ex S. Hieronimo in Pſal. 33. ad illud *Venite filij, audite me.*

12. Cui hæc illuſtratio loci Eſaiæ prædelineantis Euangelicum præmium Eunuchis myſticis attributum, ieiunior videbitur, habet quos adeat, Thomam Boſium l. xi. de ſignis cap. 6. Mendozam q. 4. poſitiua, Caſtrum V. *Virginitas*. Medinam l. 3. de continent. c. x. & 31. & interpretes duos magnificè ac plenè eundem locum verſantes, Forerum ibi, atque Sancium, præter cæteros Iſaiæ enarratores; niſi quod Forerus nimis humilem ſubijcit notionem nomini *Eunuchi*; putans *Eunuchum* eo loco ſumi pro phyſicè exciſo, iuxta ſenſum Hebræorum, meritò ibi exploſum à S. Hieronimo. Rectè tamen mox ſubiungit Forerus, Eunuchos, quibus non melius à filijs & filiabus obtinget à Domino, non fuiſſe in lege antiqua (in qua potiùs Eunuchi corporales ex lege lata Deuter. 23. excludebantur omni gradu honorifico in populo Dei,) ſed eſſe Eunuchos myſticos noui Teſtamenti, in illis corporalibus Eunuchis ab Iſaia collaudatis adumbratos, qui ſuam Domino caſtitatem conſecrauerunt, tam viros, quàm fœminas, qui non natura, non arte & ab homine,

Digitized by Google

ſed ipſi liberè ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum.

13. Ex tam inſignibus Eunuchorum ſpiritualium præmijs, vtcunque hactenùs adumbratis ex Sapiente, & ex Iſaia res Euangelicas prædelineante, infertur euidenter & ineluctabiliter, contra Sectarios, ſpiritualem Eunuchiſmum voto continentiæ conſtitutum, eſſe honeſtiſſimum atque ſanctiſſimum; & caſtrationem ſui per votum, non modò non eſſe auerſandam tanquam iuri naturali repugnantem, vt porcini Sectariorum grunnitus ferebant, ſed etiam ſtudiosè amplectendam eſſe ijs quibus datum fuerit; & conſtanter retinendam ad mortem vſque.

14. Et cum verba Dei in omnibus locis prædictis ſint vniuerſalia, comprehendántque omnes ætates atque perſonas, explodenda eſt eorumdem Grunniorum petulantia atque malignitas, qua continentiæ ſuſcipiendæ voluntatem, reſtringunt ad perſonas iam ætatæ marcidas atque vietas; ídque ſi continentiæ donum acceperint, & accepiſſe ſe ſciant. Ac neque his quidem limitationibus ſuppoſitis, probant ſuiipſius myſticam exectionem, ex religioſa voluntate placendi Deo, eúmque colendi ſuſceptam; (id enim inter aniles nænias numerant, & cultum voluntarium ab Apoſtolo improbatum reputant;) ſed tantùm probant myſticam exectionem ex robuſto propoſito admiſſam, ſi fiat ob motiuum à Chriſto aſſignatum Matth. 19. hoc eſt propter regnum cœlorum; quod Caluinus, (hoc fusè agitans 4. Inſtit. c. 13. §. 17.) ait aliud non eſſe, quàm prædicationem Euangelij. Qui enim ad hoc ſe accinxerit, eum par eſt, fœminæ ac liberorum impedimento expeditum eſſe, ob quiduis aliud autem ſuſceptam ſuimetipſius ſpiritualem caſtrationem, negat Chriſto probari, atque adeò reijciendam decernit. Benè, quod hominem Euangelij diſſeminationi addictum, non debere implicari fœmineis nexibus ſtatuit. Nam etiam Epictetus apud Arrianum, à verò Philoſopho, quem totius orbis Magiſtrum & eruditorem eſſe dicit, tantam doctrinæ remoram ablegatam eſſe vult, præclara diſſertatione quæ conſignata habetur l. 3. c. 22. *pag.* 350. At mirum eſt, (vt benè monet Eſtius in cap. 19. Matth. v. 12.) quomodò puri ac nullatenùs diluti

Digitized by Google

verbi Euangelici ſecundùm Caluinum pocillatores atque miniſtri, qui vbique crepant ſe *prædicantes*, non ſe caſtrent propter hoc regnum cœlorum, ſed ſemper vxores mulieres ad latus habeant; ita vt nunquam ab eis auellantur conceſſuri in longinquas oras ad Euangelij diſſeminationem. Itaque ſectarij non modò ex Patribus hac in parte redarguuntur, vt factum eſt à Ianſenio cap. 96. Concord. ſed etiam ex ore ſuo reuincuntur, quoad falſam interpretationem *regni cælorum*, ob quod ſuſcipienda eſt exſectio myſtica. Et verò mulieres, vt benè contra hanc inſulſitatem argumentatur Leſſius lib. 4. de virtut. cap. 2. num. 103. procul arcentur à prædicatione Euangelij: & tamen in ipſas quoque, cadit ſpiritualis exectio, quæ proinde fit propter regnum cœlorum, cum ſit pro vita æterna. Hæc enim eſt notio *regni cælorum* in aliis locis eiuſdem capitis: vt cum ibi dicitur de paruulis, *talium eſſe regnum cælorum*. Et mox de diuitibus quod *difficilè intrent in regnum cælorum*. Propter hoc ergo regnum cœlorum, omnis ætas ratione vtens & ſui arbitra, rectè ac ſanctè exſecatur: nec exigitur vt ſciat ſe inſtructam dono continentiæ efficaci; ſed ſufficit ſi perſpectum habeat adeſſe ſibi auxilium ſufficiens ad hoc præſtandum; quale omnibus eſt ad manum. Sic igitur aſſumptus ſpiritualis Eunuchiſmus, per ſe ſanctus eſt, & peruersè improbatur.

15. Tantùm curandum eſt, vt is ſit Eunuchiſmus, cui Deus præmia illa eximia conſtituit; & vt ea ſit caſtratio quàm Deus depoſcit; conueſtita nimirùm ijs adiunctis, quæ ipſam reddant vndequaque labis puram atque perfectam, cuiuſmodi non eſt quæcunque cōtinentia, etiam voto firmata, & religioſo affectu ſuſcepta. Sed adiunctis illis deficientibus, poſſunt per accidens adiungi caſtrationi ex ſe ſanctæ, & Eunuchiſmo ex ſe optimo, maculæ inquinantes, ſtudioſè declinandæ à probato Eunucho ſpirituali. Quæ verò ſint ea adiuncta perfecti ſpiritualis Eunuchiſmi, Deus ipſe per Eſaiam cap. 56. inſinuauit, vt plerique Patrum obſeruarunt. S. Baſilius l. de vera Virgin. tria aduertit Sabbathi obſeruantiam, electionem eorum quæ Deus vult, & Teſtamenti diuini retentionem.

16. *Sabbathum* Eunuchi myſtici, S. Baſilius interpretatur ceſ-

Digitized by Google

ſationem ab opere quouis inſicere idoneo animam puram ; ita vt perinde fuerit indicere ſpirituali Eunucho Sabbathum Dei, atque omnem motum aliquatenùs inconditum prohibere, & ſanctum otium ac quietem immotam poſtulare. [ Quaſi Dei ſimulachrum ( inquit iuxta S. Baſilium Propheta ex Dei nomine, ) ex anima & corpore virgo in terra formata eſt. Myſticè ergò ſabbatizet : non pedem, non manum, non oculum, non aliud quodlibet membrum ; ſed ne animam quidem, ad corrumpendam naturalem pulchritudinem moueat, ſed perſiſtat vt præclara diuinæ maieſtatis effigies ſolida atque immobilis, ad omnem imaginem, ad omnem actum, ſemper ac iugiter ſtans in petra : ne quis ſiuè per oculos, ſiuè per aures, ſiuè per alium quemlibet ſenſum ſubrepens aut animæ inditus, moueat figuras Dei ; aut corruptis primitiuis formis ſuas ipſi peſſimè ac licenter inſculpat : ſicque corrupta & obliterata animæ ſpecie, corpus iam luteum ac materiale, per illicitos tactus vbique probris ac maculis repleat. Stet igitur immobile, ſtet fixum ac ſolidum ſimulachrum Domini, perpetuò ſabbatizans ; vt neque ſui ipſius vitio motum, vſpiam nutet, aut in ipſo motu dum fortè turbatur, aliquid naturalium lineamentorum collidat ac violet, neque ad externa manu agitatum furto florem naturalis decoris amittat. ]

Quid ſi verò ſabathiſmum continentis, ſiuè viri, ſiuè mulieris, ( vtique enim æquè communia ſunt hæc omnia, vt rectè præmiſerat ſuperiùs S. Baſilius, ) accipiamus de ceſſatione ab opere auertente animi quietem & vnitatem cum Deo ? Hoc enim eſt ſabathum delicatum, ab Iſaia cap. 58. collaudatum ; quod in Deo ipſo inprimis cernitur, vt propterea ( quod Philo obſeruauit l. de Cherubin, ) paſſim ſabathum in ſcriptura dicatur *ſabathum Domini.* Deus enim in ſe vno ſemper quieſcit, vniuerſa propter ſeipſum operans, neque vnquam à ſe auulſus & diſtractus in varia ; vnde ſolus propriè ſabatizat, iuxta Philonis eo loco diſputationem, à S. Maximo centur 5. ex varijs n. 46. compendio expreſſam. Et nos tunc propriè ſabathum agimus, cum in vno Deo figimur & hæremus. Videſis Athanaſium ſerm. de ſabatho & Circumciſione, Cyrillum l. 7. de adorat. Petrum

Damiani l. 2. Epiſto. 5. Chryſoſtomum hom. 6. in ad Hebræos.

17. *Electionem eorum quæ Deus vult*, S. Baſilius accipit de electione continentiæ & incorruptelæ, quam Deus præ negotij arduitate noluit præcipere, ſed permiſit electioni vniuſcuiuſque. Verùm hoc non eſſet commendare adiunctum continentiæ, ſed ipſam continentiam: cum tamen nunc exquiramus adiuncta, & ornamenta aduentitia, quibus continentia fiat Deo accepta. Itaque inflexa tantiſper litera, cui D. Baſilius verè inhæſit, proferamus aliquid quod Deus vult, & eligitur à myſtico Eunucho. Egò autem inter ea quæ Deus vult, & à nobis maximè expetit, nihil inuenio humilitate & noſtri deſpectione conuenientius. Nam qui ſe efferret de ſua continentia, eámque vel ſuis viribus partam cenſeret, vel ob eam alijs coniugio illigatis ſe præferret, valdè dehoneſtaret ſuam myſticam exectionem. Primùm quippè, Pelagianum eſt, & diſertè à Sapiente reprobatum, cum dixit; *Agnoui quod nemo poſſit eſſe continens, niſi Deus det.* Et ſi vſpiam neceſſaria eſt Dei gratia, certè in hoc maximè negotio; quia habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. At incentiuum potens genuinæ ac ſolidæ humilitatis, eſt agnitio neceſſitatis gratiæ; id quod inſinuauit Apoſtolus cum dixit. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Humilis itaque ſui ipſius deſpectio, & agnitio neceſſitatis diuinæ opis, vt paretur & cuſtodiatur diuinum hoc munus, eſt aliquid huic negotio maximè intrinſecum, & meritò ſupra omnia ab Eunucho myſtico adhibendum. Et idcircò Patres agentes de Virginitate, multi ſunt in hoc, (vt S. Auguſtinus in pſalmum 84. rectè vidit,) ſolidiſſimo fundamento humilitatis iaciendo.

18. Alterum huic primo conſequens, de non deſpiciendis alijs, nec ſe præferendo ijs qui coniugio illigantur, latè vrgetur à S. Auguſtino lib. de ſancta Virginit. à cap. 31. ad 55. vbi latiſſimè agit de neceſſaria continentibus humilitate; quæ certè, vt Fulgentius ad Probam cap. 18. dixit, eſt *Virginitatis virginitas.* Eſtque in hoc negotio multò magis neceſſaria humilitas, vt perſeuerantia non deſit. Nam Eunuchus myſticus,

poteſt

Digitized by Google

poteſt denuò vir euadere; quia exſectio eius, ſita eſt in voluntate, quæ vertibilis eſt ac flexibilis. Eam verò mutabilitatem firmat ſola Dei gratia, quæ facit ventis pondus. Ea autem ob ſuperbiam ſubtracta, turpes caſus poſt ſpiritualem Eunuchiſmum vltrò ſuſceptum conſequuntur, quorum nullibi eſt penuria, & recoli non poſſunt abſque luctu. Ad extremum verò his fatuis virginibus quæ non ſumpſerunt oleum ſecum, impendet excluſio à nuptijs agni, quem non ſequuntur niſi humiles corde, ſicut humilitas (nomenclatore D. Bernardo ſerm. 2. de Epiph.) eius virtus fuit.

19. *Tenere teſtamentum Dei*, (quod tertio loco S. Baſilius poſtulabat in myſtico Eunucho ex Dei per Iſaiam vocibus ac monitis,) eſt recordari ſuſtinentiæ D. N. IESV CHRISTI pro nobis, ita vt Eunuchus gratiam fideiuſſoris ſui, qui poſuit pro eo animam ſuam, non obliuiſcatur. [Meminiſſe itaque (ait S. Baſilius,) Teſtamenti ſponſi ſui, diu noctúque virgo debet; quod ille pro ea, & pro eius integritate moriens edidit, ipſiúſque Teſtamenti & mortis quàm ipſius gratia ſuſcepit. Seipſum enim pro illa tradidit, vt eam ſanctificaret; memoriam aſſidua ſecum meditatione voluens, Teſtamentum ipſius iugiter teneat, id eſt, deleri aut irritam, inanémque fieri non ſinat, conſummatam in ipſius morte, ſalutis ſuæ cauſa diſpenſationem; qua ſcilicet proſpiciens ipſius libertati, eam ſuo redemit ſanguine; redemptámque non modò libertate honorauit, verùm ſponſam quoque ſibi aptans, Reginam facere præcipua gratia & excellenti pietate dignatus eſt. Ideò teneat ipſius Teſtamentum, hoc eſt (vt planiùs dicam,) dotale quoddam ipſius erga ſe Teſtamenti conſcripti legitimè, conſtantiſque coniugij, iugiter teneat: adſtipulationes, fœderáque, coniunctiùs ſeſe illi immaculatam exhibens, vt dignè pro ſponſi merito hìc viuens, illhìc etiam bonis ab ipſo præparatis perfruatur.] Inſinuat, iugem memoriam ſuſcepti ſemel conſilij, eſſe retinendam Eunucho myſtico: vt gratum ſe præbeat ei qui conſilium ſanctum afflauit, & vires ad aggrediendum & perficiendum ſuppeditauit. Docet præterea exigere vitam magna cum accuſatione, declinando quidlibet Deo

improbatum, & omne quod ex pacto cum Deo inito eſt obeundum, ſeriò ac diligenter præſtando ingerendo ſibi ſemper illud à S. Bernardo vſurpatum in ſua cauſa, *Ad quid veniſti?* Quid Deo promiſiſti? Hoc ſerua & exhibe. Idque eſt propriè, *Teſtamentum Dei tenere.*

20. Hi ſunt Eunuchi ſancti & Deo accepti, qui non ſuſcipiunt liberos in Babylone, quia nihil gignunt mali operis. Elegans eſt Origenis tropologia tract. 7. in Matth. Præmiſſo enim ſenſu hiſtorico Eunuchizationis triplicis à Chriſto aſſignatæ, ſubdit. [ Si oportet, ſecundùm hiſtoriam moraliter intelligere Eunuchos, dicimus quoniam ſunt quidam Eunuchi Pharaonis, non generantes bonum vt ſunt Eunuchi illius, eſcam illi offerentes. Eunuchizati ſunt autem & homines Dei; propter hoc ipſum Eunuchi, nunquam generantes malum vt reædificent caſas Hieruſalem. Et de primis quidem in Geneſi ſcriptum eſt: de ſecundis autem in libro ſecundo Eſdræ, qui dixit. *Et ego eram Eunuchus Regis.* Et tu ergò conſiderans, inuenies quare ad reſtaurandum templum Dei, principari Eunuchus electus eſt dignus. Dicunt enim filij Hebræorum, Danielem & pueros tres in Babylonia, fuiſſe Eunuchizatos, vt impleatur verbum Dei dicentis ad Ezechiam, quoniam *ex ſemine tuo accipient, & facient ſpadones, in domo Regis Babylonis.* Dicunt & quod de eis prophetauit etiam Eſaias dicens, *ne dicat Eunuchus, quia ego ſum lignum aridum. Hæc dicit Dominus Eunuchis; ſi cuſtodierint mandata mea & elegerint quæ volo ego, dabo eis in domo mea locum electum, & nominatum, & meliorem filijs & filiabus.* Bonum eſt ergò ſecundùm myſterialem locum, non generare in Babylonia, ſed ſine ſemine eſſe quantum ad Babyloniam, ſicut Daniel; vt generemus de ſpiritu ſancto; ſicut & ille, & qui cum eo fuerunt, viſiones, & prophetias, & cætera opera bona. ]

Myſticis hiſce Eunuchis ſibi acceptiſſimis ſponſam ſuam cuſtodiendam tradidit Deus. Quos enim ad munus cuſtodiendæ Eccleſiæ aſſumpſit, voto continentiæ obſtringi voluit. Notauit pulchrè hoc Dei conſilium Petrus Bleſenſis ſerm. 42. qui eſt ad Sacerdotes in Synodo, vbi tractans illud Lucæ 12. dictum Sacerdotibus, *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus*

Digitized by Google

*veſtris*, ſic habet. [ Nec diſcordat commendatio iſta, facta per manum ſaluatoris, ab vſu humanæ conſuetudinis. Principes enim terrarum vxores ſuas, Eunuchis ad cuſtodiendum, ſolent tradere : ſic & Dominus, ſponſam ſuam Eunuchis tradidit cuſtodiendam. Non dicimus hìc Eunuchos per violentiam, quos ſpadones à ſpata vocamus ; nec Eunuchos per naturam, quos *caſtratos*, id eſt *caſtè natos* nominamus : ſed Eunuchos per gratiam & virtutem, hic intelligimus, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.] Ad eundem Eunuchiſmum myſticum, ſanctum & probatum vocantur Religioſi, quos idcircò Petrus Abelardus f. 31. dictos putat *onagros in ſolitudine liberos*. Onagri enim caſtrantur ab ijs per quos geniti ſunt. Sic qui ſuſcipiuntur in ſanctum cœtum à præfectis, tanquam in ſpiritu patribus, ad Eunuchiſmum propter regnum cœlorum, ab ijs adducuntur. His onagris & myſticis Eunuchis à Chriſto & Eſaia plurimùm commendatis, vt Abelardus conſiderat, Deus iuxta Iobum, dat in ſolitudine domum, & tabernacula in terra ſalſuginis. Domus enim quas in terra hac ſiticuloſa incolunt ſancti Dei homines mancipati eius obſequio per continentiæ votum, ſunt potiùs tabernacula, quàm fixæ & manentes habitationes. Vbi montes paſcuæ & virentia quæque in pabulum illis ſubminiſtrat. Diffundit eam allegoriam latiùs nec ineleganter Abelardus.

### §. II. *Eunuchiſmus myſticus, illaudatus ac reprobus.*

1. Spiritualis Eunuchiſmus, ſiuè Deo conſecrata continentia, ex ſe ſancta & ejs conueſtita ornamentis quæ proximè deſcripſimus, omni præconio eſt ſuperior. Erit autem Eunuchiſmus myſticus illaudatus ac reprobus, ſi illum deficiant quæ in illo Chriſtus popoſcit, & adſint quæ rem ex ſe optimam, penes extrinſecas cauſas morboſas, poſſunt inficere. Vna huiuſmodi cauſa externa eſt, cauſa efficiens, altera finalis. Efficientem caſtrationis myſticæ cauſam, Chriſtus voluit eſſe ipſummet Eunuchum ſpiritualem. Finalem verò caſtrationis cauſam legitimam, aſſignauit regnum cœlorum. Si alterutra, vel vtraque deſit, exſectio myſtica ex ſe bona, fiet illaudata.



Digitized by Google

2. Penes cauſam itaque efficientem, ſordet exectio ſpiritualis, ſi fiat ab alio; V. G. à parentibus, renuente prole. Hoc circa filias frequens eſſe, notauit D. Hieronimus Epiſtol. 8. [Solent (inquit,) miſeri parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani, deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inueniunt, virginitati tradere. Tanti (vt dicitur,) vitreum, quanti margaritum?] Hoc hodiéque frequens eſt. Tanta autem mala, hanc filiorum, & filiarum præſertim, adactionem per parentes conſequuntur, vt explicari ſatis non poſſint. Nam adactus per vim aut metum reuerentialem; eſto corpore caſtus ſit, quod deficiat fortè eum opportunitas ſecùs faciendi; tamen anima, non erit quod exteriùs præfert. Indéque eſt quod apud Romanos, tam multæ ex veſtalibus, occulto dedecore inquinabant externam pudicitiæ ſpeciem; [cum penè in pluribus Virginibus (vt Minutius expoſtulabat) quæ inconſultiùs viris ſe miſcuiſſent, veſta ſanè neſciente ſit inceſtum vindicatum, in reſiduis impunitatem fecerit, non caſtitas tutior, ſed impudicitia fœlicior.] Rhea ab Amulio patruo, lecta, imo adacta, inter veſtales, gemellos abſque marito edidit, cæteríſque exemplo ad labem præiuit. Oppia apud Dyoniſium lib. 8. ſceleris reuicta, letho tradita infami eſt. Mucia facto iudicio comperta rea, ad portam Collinam defoſſa eſt in campo ſcelerato, quod nomen illi ab inceſto factum. Opimia atque Floronia ſimul ſtupri compertæ ſunt ex liuio l. 22. earum vna infamiam anteoccupauit Biothanata; altera de more ad portam Collinam infoſſa, & neci data. Sic ex iurè læſam pudicitiam in ſacris puellis vindicabant Romani. Videſis Lipſium de veſtalibus cap. 13. In his alijſque, puellarum ſpeciè Religionis ad virginitatem vi adactarum, exemplis; videre eſt, verum comprobari quod ille cecinit 3. Eroticorum eleg. 4.

*Si qua metu dempto caſta eſt; ea denique caſta eſt:*
*Quæ quia non liceat non facit, illa facit*
*Vt iam ſeruaris benè corpus, adultera mens eſt;*
*Nec cuſtodiri ni velit, vlla poteſt;*
*Nec mentem ſeruare potes, licet omnia claudas,*
*Omnibus excluſis, intus adulter eris*

*Cui peccare licet, peccat minus: ipſa poteſtas*
*Semina nequitiæ languidiora facit.*

Itaque mirum non eſt, ex adactis inter Chriſtianos Virginibus, eſſe quæ ruant. Tales S. Hieronimus Epiſto. 22. vocat [ Virgines carne, non ſpiritu; virgines ſtultas, quæ oleum non habentes, excluduntur à ſponſo. ] Idem l. 1. contra Iouin. [ Nonnullæ ſunt virgines carne non ſpiritu, quarum corpus integrum eſt, ſed anima corrupta. Sed illa virginitas hoſtia Chriſti eſt, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculauit. ] De iſtis quas paterna auaritia concluſit cœnobio, nec niſi adactæ virginitati ſunt traditæ, quid ſuſpicari poſſumus? Vtinam nullæ ſint nunc quoque, trium criminum reæ, quales illæ de quibus idem Hieronimus Epiſto. 22. De maribus proportione idem dicendum. Cadat ergò vnaquæque Dei hoſtia ſuomet cultro; nec adacta ab alio, ſed per ſeipſam, & volens. Vel ſi alienus impulſus interuenerit, aſſenſus tamen exſolutus & liber non deſit; ne inauſpicatum ſit ſacrificium. Nam etiam veteribus, ominoſum erat immolare pecudem, quæ caput ſuomet nutu non inclinaſſet, vt eſt apud Plutarchum lib. 8. ſympoſ. q. 8.

3. Sanè quoad puellas, Eccleſia tanti fecit hoc punctum, ob grauiſſima incommoda nimiùm quantum frequentia, vt in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 18. anathemate multarit parentes, vim phyſicam aut moralem per metum grauem, inferentes, ad eas compingendas in clauſtrum. Expendunt eam cenſuram, latè præter cæteros Sanches lib. 4. de voto cap. 4. Suares t. 5. 3. p. d. 23. & Bonac. t. 3. d. 2. q. 2. p. 2. S. Gaudentius Tract. 8. in Exod. timens ne parentes abuterentur autoritate Apoſtoli, dicentis, *qui non dat virginem ſuam nuptui meliùs facit*, eripit eis hoc telum, dicens. [ Quod ergò arbitror, non parentibus Virginum fuiſſe à B. Apoſtolo dictum, quos conſtat alienæ voluntatis arbitrio dominari non poſſe: ſed vnicuique homini, tam viro, quàm fœminæ, optionem fuiſſe ab eodem ſancto propſitam, vt virginem ſuam, hoc eſt, carnem ſuam, virginem natam, aut integritati conſeruet, meliorem partem liberámque eligens; aut agnita conditione, nuptui eam, ſi ſe

non continet, tradat;] Sic quidem Apoſtolum accipit in illis verbis Gaudentius; quanquam minùs appoſitè ad literam, quæ apertè ſpectat filias, non carnem propriam, vt habet omnium aliorum interpretatio. Dicuntur ergò dare nuptui filiam parentes, aut virginitati, non adigendo, vel forti imperio vrgendo, ſed proponendo quod ſatius ducunt, & ad id media ſuppeditando. Addit verò S. Gaudentius; [ Parentes autem vel conſanguinei quoque virginum, tam puerorum, quàm etiam puellarum, nolo ſibi de ſupra dicta libertate arbitrij blandiantur, quod alienis mentibus, eos dominari non poſſe tractauimus: Imperare quidem perpetuam continentiam non poſſunt, quia res eſſe noſcitur voluntatis. Voluntatem tunc in meliùs nutrire poſſunt, & debitores ſunt, vt moueant, vt hortentur, vt faueant, vt pignora ſua Deo magis geſtiant obligare quàm ſæculo, vt de propinquis ſeminis ſui, vel in Cleri ordine dignos altari diuino miniſtros exhibeant, vel in ſanctarum numero fœminarum, puellas caſtimoniæ dicatas enutriant, vt Eccleſiam Dei talibus nutrimentis ornantes beatitudinem debitam conſequantur. Scriptum eſt enim, *Beatus qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem.*] Vides quid S. Gaudentius, liberis ac nominatim puellis in hoc negotio concedat; longè ſanè abhorrens ab vſu multorum quoad filias; præſertim cum ob ſplendorem familiæ retinendum, aut (quod iam olim S. Hieronimus Epiſto. 8. in modicæ fidei Chriſtianis culpauerat,) ſi dignos generos præ filiarum deformitate, non inueniant, ad virginitatis profeſſionem, eas adigendo, præſtare ſolent.

Eſt in hanc rem egregia Petri Bleſenſis adhortatio Epiſto. 54. ad Archidiaconum Pictauienſem, qui neptem ſuam Adelitiam, vrgebat ad cœnobium. Decerpo ex ea quædam. [ Miror plurimùm, de prudentia & modeſtia veſtra. Nam cum præfata Adelitia iam ætatem habeat,& ad annos diſcretionis euaſerit, non eſt (ſicut mihi videtur,) ad religionis propoſitum violenter vrgenda; maximè cum ſcriptura teſtetur, Deo grata non eſſe coacta ſeruitia. Sed & Canonum clamat autoritas, quia Monachum ſiuè Monacham, facit propria profeſſio, vel paterna deuotio. Propriæ verò profeſſionis vinculo non ligatur, qui huic

profeſſioni quantum poteſt, renititur & reclamat. Nec adſtringit ipſam paterna deuotio, quia non eſt in poteſtate Patris, ſed quaſi emancipata per Patris mortem; & in alienam poteſtatem non reſidens, liberam animi ſui adepta eſt facultatem. Vtriuſque iuris beneficio, matrimonia libera ſunt: ideóque ſi matrimonium carnale gaudet libertate indulta; ſpirituale matrimonium, priuilegiatum eſt pleniore gratia libertatis. Nam vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Si neptem veſtram filio Altiſſimi deſpõſare diſponitis, ſcitis quod ſponſus ſibi exhiberi deſiderat mentem ſanctam, ſpontaneam, non coactam. Nam in Geneſi legitis, in deſponſatione Rebeccæ, quia eius voluntas diligenter inquiri præcipitur. Sed & Ioſue, in optionem populi ponit ſeruire Dijs Meſopotamiæ, aut Dijs Amorrhæorum, aut Domino Deo; inſinuans ſeruitium non eſſe meritorium apud Deum, quod præter liberam arbitrij beneuolentiam, eſt extortum. Porrò neptis veſtra publicè proteſtatur, quod eam inutiliter fatigatis, & ad ipſius conuerſionem, laboratis in vanum. eſſet enim (ſicut aſſerit,) ex conuerſione peruerſior; & ſimillies clauderetur in clauſtris, ipſa tamen in veſtrum dedecus & contemptum, tempeſtiuum ſibi procuraret egreſſum. Tenent igitur vos, (ſicut mihi videtur,) labor inutilis, & cura ſuperflua; vereórque ne vobis adaptet aliquis, verbum illud Domini; *veh vobis qui circuitis mare & aridam, vt vnum proſelytum faciatis; & cum repertus fuerit, facitis eum duplo gehennæ filium.* Deſiſtitè itaque ab incœptis; & ſi neptis veſtra iugum religionis abhorret, atque Deo immortali deſponſari detrectat, mortali homini deſponſetur: & quæ in monte ſaluari non poteſt, ſaltem in Segor modica Ciuitate, ſaluetur.] Sapienter iſta ſuggeſſiſſe Bleſenſem, monſtrarunt nimiùm quantum crebri caſus, & infœlices euentus miſellarum, quas data occaſio ad ſacrilegas libidinationes perpulit; ſacrilegijs tectorijs planè immanibus curata abortione, vel fœtus ſtrangulatione exceptas, de quo non ſiluit S. Hieronimus Epiſto. 22. Alias, abundantior triſtitia de mentis poteſtate deiecit, ita vt vitam deinceps humanam & rationalem non viuerẽt, ſed pecuinam, & virtutis expertem. Non paucas deſperatio in puteos deiecit, vel adegit ad laqueum.

Digitized by Google

Quæ omnes infœlicitates, ortum habuere ex adactione ad cœnobium. Vt propterea meritiſſimò Concilium Tridentinum, auertendis tam grauibus malis, intorquendam cenſuerit excommunicationem propoſitam in eos qui puellas vi adigebant ad capeſſendam religionem. Grauiſſimè in eandem rem nonnulla edixerat Maiorianus Nouella 8.

4. De maſculis, quanquam nihil tale conſtitutum eſt intentato anathemate, iure tamen poſſet idem conſtitui; nec dubium quin peccent grauiſſimè parentes, à quibus filij adiguntur ad ſuſcipiendum continentiæ ſtatum; plus audentes erga filios, quàm Deus ipſe ſibi ſumpſerit, neminem vrgens aut adigens ad continentiam; quam eſſe debere rem meri arbitrij diuinitùs adiuti, habet perſpectiſſimum. Bene hoc aduertit S. Hieronimus Epiſto. 26. tractãs illud, *ſi vis perfectus eſſe.* [ Semper ( inquit, ) grandia in audientium ponuntur arbitrio. Et ideò virginitatem Apoſtolus non imperat; quia Dominus diſputans de Eunuchis qui ſe caſtraſſent propter regnum cœlorum, ad extremum intulit, *qui poteſt capere, capiat.* Non eſt enim volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Si vis perfectus eſſe. Nec tibi imponitur neceſſitas, vt voluntas præmium conſequatur. ] Quanta ergò homuli audacia eſt, ſupra Deum velle facere; ita vt cum ipſe neminem ad conſilia Euangelica adigat; homo tamen id auſit attentare; & rem à diuino afflatu eluctabili pendentem, velit per vim, ſaltem moralem, vt per grauem metum, aut non leues minas, extorquere.

Verum eſt, olim pueros, necdum per ætatem ſui arbitros, inſeri cœnobijs ſolitos. Pleriſque item, veſtitus Monaſticus, & vnâ cum eo obligatio ad continentiam, inijci ſolebat; etiamſi oppreſſi ægritudine, planè neſcirent quid erga ipſos fieret. Et huiuſmodi conuerſiones oportere validas haberi, várijs Canonibus Conciliaribus eſt conſtitutum. Videſis Concilia quæ in hanc rem profert Petrus Damiani opuſc. 16. cap. 5. & nominatim Concilium Toletanum 4. cap. 48. quod agnoſcit, Monachum vel paterna deuotione, vel propria profeſſione fieri. Et quicquid horum fuerit, factum tenere, nec eſſe liberum regredi. Idem traditur cap. *addidiſtis*, & cap. *quicunque*, & cap. *quem progeni-*

*progenitores* 20. q. 1. Et Concilium Triburienſe cap. 24. diſertè agnoſcit, etiam eum qui inuitus addicitur Religioni à parentibus, teneri eorum voto.

5. Certum tamen eſſe debet, huiuſmodi perſonas non fuiſſe mancipatas ſtatui, in quem neſciæ vel adactæ inferebantur, niſi illuceſcente pleno rationis vſu, aſſentirentur, & ratum liberè haberent quod circa ſe geſtum erat. Et ita verum manet, quod dictum eſt, Eunuchum myſticum debere ſuimet exectorem, non autem alium, vi aut minis adigentem ad continentiam, abſque aſſenſu planè libero, eius qui eſt continentiam ſeruaturus. Confirmant latè hanc reſolutionem Leſſius lib. de Iuſt. cap. 42. num. 62. Suares Tract. 7. de Relig. lib. 5. cap. 2. & Sanches lib. 4. de voto cap. 15. num. 22. & cap. 18. num 26. aſſerentes, Canones in contrarium adductos, valere tantùm ſi filius poſtquàm factus eſt pubes, voto patris qui eum obtulerat impuberem, præbeat aſſenſum. Et ita traditur cap. *cum ſimus* de regular. Et cap. *illicò autem* 20. q. 1. Nimirum pater non poteſt verbis oris ſui illaqueare filium, ita vt quoad ſtatum vitæ & conſilia Euangelica quæ Chriſtus voluit liberrimè ſuſcipi, teneatur filius voluntati Patris in re quæ ad domeſticam diſciplinam & familiæ curam œconomicam non pertinet, ſe conformare; & ſtare oblationi ſiue voto paterno, de filio per ætatem necdum ſui arbitro. Et idem dicendum eſt, de eo qui cum æger decumberet, & impos mentis, eſſet à ſuis indutus eſt habitu monaſtico.

6. Illaudatus penes finem eſt Eunuchiſmus ſpiritualis, ſi ſuſcipiatur ex alio fine quàm regni cœlorum. Qua in parte, calumniam paſſi ſunt ſpirituales Eunuchi, ab hæreticis aſſerentibus eos non ex motiuo ſupernaturali & ſancto, ſed ad vitandas coniugij moleſtias, & abs ſe remouendum *pondus honoratum*, (ſic vxorem nominat Naz. Carm. ad Nicobulum Patrem, filij nomine.) continentiæ ſe addicere. Tantæ enim ſunt coniugij cruces, tanta viri à muliere inpunita & capitoſa; viciſſimque mulieris, ab homine effero & intractabili tormenta & ærumnæ; tanti præterea angores vtriúſque parentis à prole ſuſcepta, (vt latè tractatum eſt in Opere de Martyrio parte 1. cap. 6.) vt



Digitized by Google

multi idcircò à coniugio abhoruerint, malentes abſtinere coniugio, quàm in tantas ſe difficultates vltrò induere. Teſtatur hoc de Democrito & Epicuro Clemens Alexand. lib. 2. Strom. *ferè in fine*; & idem refert Theodoretus lib. 12. contra Græcos. Hunc Eunuchiſmum myſticum, liquet fuiſſe ſpurium; quippè fœtum ignauiæ, nec tam ſtudioſi honeſti, quàm laboris refugam. Sicut non fuit probanda Temperantia Epicuri, qui pomis & oleribus, diſſertationes ſuas de voluptate impleuit, abhorrens à cibis lautioribus; non amore honeſti, ſed tædio laboris in illis apparandis ſuſtinendi. Accedit, quod cuiuſmodi eſſet ea philoſophica ab vxoribus abſtinentia, manifeſtè detexit vita ſpurciſſima ab his lutulentis carnis mancipijs, exacta. Nam tanquam hirci ac ſues, in cœno cuiuſuis fœditatis volutari adamabant Philoſophi: vt fusè corrogatis vndecunque teſtimonijs demonſtrat Creſolius lib. 5. Theatri Sophiſt. cap. 8. Feréque omnes erant pæderaſtæ, vt Lucianus Dialogo cui titulus eſt *amores*, illis tacitè exprobrat, & eſt compertum ex Platone, infinitis locis pectoris ſui putrem vomicam emittente, vtcunque obductam pallio honeſti amoris: vt mihi videatur Beſſarion æthiopem lauare, tentans hac in parte purgare Platonem lib. 4. contra Calum. Plato. in proemio. & c. 1. ac 3. Et quicquid ſit de Platone, Apoſtolus Rom. 1. in antiquis Philoſophis immanitatem hanc turpitudinis damnat. En ergò, quàm non ſyncera, ſed ſpuria erat Philoſophorum continentia ab vxoribus, ad deuitandas coniugij moleſtias, quas Apoſtolus *carnis tribulationes* appellauit. Initium quippè habebat ab ignauia, & metu tædiorum ac laborum coniugio comitantium; & deſinebat in barathrum infamiæ ac cœnoſiſſimæ turpitudinis; præ qua præſtitiſſet à legitimis nuptijs non abhorrere, & faſtidia ijs nexa æquanimiter ſubire.

7. Hoc ipſum inertiæ probrum in refugiendis nuptijs, aliqui hæretici, hodiéque Chriſtianis continentibus imponunt, ſiniſtrè interpretantes ſpiritualem eorum Eunuchiſmũ; quaſi otij gratia, aut declinandis curis coniugium conſequentibus, eſſet ſuſceptus. Hoc tamen de aliquo continente velle aſſerere, eſſe hominis *inſipienter contentioſi*, dixit S. Auguſtinus lib. de Sancta

Digitized by Google

Virginit. c. 22. Et addit cap. 23. Chriſtus ait, [ *Sunt ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat.* Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Chriſtus dicit, veritas dicit, eos qui pio propoſito ab vxore ducenda ſe continuerunt, caſtrare ſeipſos propter regnum cœlorum. Et contra, humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præſentem tantummodò neceſſitatem moleſtiarum coniugalium deuitare. ] Ignaua ſine dubio eſſet hæc cogitatio, & Eunuchiſmum ſpiritualem ex tali fine admiſſum, faceret illaudatum. Sed falſiſſimum eſt, bonos ac probatos continentes idcircò refugere coniugium: Diſputat præclarè in hanc rem Cõradus Koellin in euerſione Epithalamij Lutheri l.6.tract.c.22.

8. Alius finis corruptus, & ſpiritualem exſectionem ex eo admiſſam coinquinans. eſſet popularis auræ captatio, & vana apud homines gloria. Notauit hunc abſonum ſpiritualis Eunuchiſmi finem Origenes Tract. 7. in Matth. cum monuit, Eunuchos factos ab hominibus, dici poſſe. [ Eos qui continentes ſunt propter verba hominum: quorum concupiſcentiam virilem præcidit, non verbum diuinum, ſed verba humana: vt puta, qui philoſophati ſunt apud antiquos in gentibus. [ Philoſophi itaque, gloriæ animalia, & popularis auræ vilia mancipia, vt loquitur S. Hieron. Epiſt. 26. & 34. colligendæ humanæ gratiæ cauſa, & vt audirent mirabiliarij, exſecabantur myſticè per abſtinentiam ab vxoribus, fumum ex continentiæ labore collecturi; ſolidæ verò laudis, vacui erant. Eiuſdem furfuris fuit continentia Athletarum & hiſtriorum. Nam Athletarum tanta erat continentia, vt etiam plumbi lamina lumbos obducerent, vt notat Caſſianus lib. de vitijs cap. 7. De Icco Tarentino ſcribit Plato 3. de legibus, itémque de Chriſſone, & Aſtilo & Theopompo, fuiſſe continentiſſimos. Et idem de Athletis vniuersè habet Clemens Alexand. 3. ſtrom. Quin etiam Apoſtolus 1. Cor. 9 de Agoniſtico ait, *ab omnibus ſe abſtinet*; id eſt, ( interprete S. Ephrem Tract in illud Apoſtoli, *melius eſt nubere, quàm vri*; ) nulla prorſus ratione ſe contaminat libidine, ſed eſt perfectè continens, ac exquiſitè impollutus corpore. At hoc totum, referebatur ad gloriam ex victoria pariendam, ſucciſo



Digitized by Google

veneris corpus frangentis ac eneruantis impedimento. Videſis de eorum continentia, Fabri Agoniſticum lib. 4. cap. 3. & 4. Parem finem habebat præfixum, qui ne ad recitandas fabulas in theatro inepti fierent per vſum ſexus, præputium ſibi fibula ænea, vel argentea, ab vtroque glandis latere conſuebant, vt vel ſic continerent, nec corpus fœdarent quoquomodo, vt notat Antonius Vlmus lib. de finè barbæ humanæ ſect. 3. cap. 4. Quis hanc continentiam non demiretur? Et tamen procul aberat à verò Eunuchiſmo myſtico, quia ex fine putri captandæ gloriæ ſuſcipiebatur.

10. Ex quocunque ergò alio fine quàm regni cœlorum ſuſcipiatur Eunuchiſmus, illaudatus erit penes finem. Et *regnum cœlorum* intelligo, non præmium duntaxat æternæ vitæ, quod amore concupiſcentiæ ſpes Theologica proſequitur; ſed etiam (& quidem multò magis,) bonum diuinum charitati propoſitum; vel cultum religioni præſtitutum. Omnia enim hæc continendi motiua, ſancta ſunt & perfectum Eunuchiſmum Deo probatum conſtituunt. Cætera corrupti animi affectum temerantia, mercedem non habebunt apud Deum; qui non quærit continentiam hominis, præcisè prout eſt ſubductio voluptatis, quæ poſſet ex ſe licitè percipi in legitimo thoro abſque flagitio; ſed prout eſt aliquid cedens in hominis perfectionem moralem ex fine honeſto, maximè reſultantem. Simile eſt, quod circa abſtinentiam à cibis lautioribus, rem ex ſe indifferentem, monent ſæpè Patres. Deus enim illam non habebit acceptam, neque compenſabit, niſi ſubeatur ex fine qui illam ſuſtollat ad gradum honeſtorum operum. Alioqui Satan ieiunat, & abſtinet à cibis quibuſuis; nec tamen eius abſtinentia, laudem reportat. Idem de continentia eſt pronunciandum. Quod ſi indifferentia motiui, relegat continentiam à decore veri & probati Eunuchiſmi myſtici, quantò magis motiui turpitudo, idem præſtabit?

§. III. *Eunuchiſmus myſticus analogicus, reprobus & illaudatus.*

1. Ob aliquam proportionem ad Eunuchiſmum ſimpliciter dictum, varij infœcundi aut inferentes infœcunditatem, abro-

Digitized by Google

gata generatione, dicuntur Eunuchi Deo non placentes. S. Cyrillus lib. 14. de ador. ſecernit Eunuchos exectos & contuſos. Poſteriores ait eſſe, quibus mens atque animus non ſit prorsùs ademptus; ſed contuſam potiùs virtutem ad rectè faciendum, in ipſis retinent. *Exectos* verò ait eſſe, qui hæc penitùs amiſerint, ijſque careant quæ ſunt virorum maximè propria *&c.* Qui ergò prorsùs viriles conatus ad virtutem abieceriat, eos iure *abſciſſos* dixeris. Qui verò habent quidem in animo viriliter ſe gerendi voluntatem, non tamen etiam perficere virtutem poſſunt, hos *colliſos* exiſtimabimus: quia habentes interdum aliquos ad virtutem motus, tamen pugnam extimeſcentes, ac voluptatis impetum non ferentes, ad ignauiam vergunt. Sic ſummatim S. Cyrillus, *contuſos* ab *exectis* ſecernens. Et affinia habet Heſychius libro 6. in Leuit. ad illud ex cap. 22. *Omne animal quod vel contritis, vel tunſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino.* Quod tamen & *execti* & *contuſi*, æquè ſint Eunuchi, non morabimur eam diſtinctionem.

2. Eunuchiſmum ergò analogicum per ſe reprobum, memorat aliquoties Philo. Nam vt eſt ingenio planè allegorico, varijs locis, multiplicem huiuſmodi Eunuchiſmum allegoriæ inædificatum aſſignat. Libro de Temulentia tractans Pharaonis Eunuchos, Pocillatorum & piſtorum ac coquorum principes, hos aſſumit in typos triplicis generis hominum nequam. [Sunt (inquit,) luxuriantis animæ tres familiares cubicularij: princeps piſtorum, princeps coquorum, princeps pincernarum; quorum admirandus ille Moſes ſic meminit. *Et iratus Pharao, duobus Eunuchis, piſtorum principi, & pincernarum principi, miſit eos in carcerem principis coquorum.* Eſt autem & coquorum princeps Eunuchus. Dicit enim alicubi. *Adductus eſt Ioſeph in Ægyptum, & emit eum Eunuchus Pharaonis, princeps coquorum.* Rursùm *Vendiderunt Ioſephum ſpadoni Pharaonis, coquorum principi.* Sed cur nec viro, nec mulieri committuntur dicta officia? An quia ſeminare viris, ſemen excipere mulieribus, à natura datum eſt, ex quorum congreſſu, & natiuitas omnium, & generis conſeruatio prouenit? Sterilis autem caſtratæque animæ officium eſt, gaudere piſtorijs operibus ſumptuoſis, atque poculis,

Digitized by Google

& curioſis condimentis cupediariorum ; vt quæ nec virtutis verè maſculum ſemen emittere valeat, nec emiſſum excipere, nutriréque; ſed tantùm exile ſaxoſúmque aruum, tantummodò apta ſit ad corrumpendum ea quæ ſemper viuere debuerant. Hìc decretum ſtatuitur, communiter omnibus vtiliſſimum, quod quiuis opifex voluptatis non gignit ſapientiam; cum nec mas ſit, nec fœmina : & cum nec indere nec excipere ſit idoneus ſemina ad immortalitatem facientia, meditatur quod turpiſſimum eſt in vita exercitium; vt corrumpat incorruptibilia; & extinguat inſitos naturæ, igniculos, inextinguibiles. Talium nulli, Moyſes permiſit *ingredi Eccleſiam Dei.* Interdicit enim, *ne ſpado & exectus ingrediatur in Eccleſiam Domini.* Quid enim non valenti ſapientiam gignere, profuerint ſacræ conciones auditæ? Cui fides execta eſt, non poteſt ſeruare depoſitum vtiliſſimorum vitæ dogmatum.]

3. Idem lib. de migrat. Abrahæ. [Quemadmodùm multipedum & pedibus carentium reptilium genera, cum ſint contraria, inter impura ceſſerunt : ſic opiniones nullum Deum, aut multos credentium, quamuis contrariæ, ſunt ex æquo profanæ. Argumento eſt, quod vtrumque lex arcet à ſacro cœtu; ei qui Deum negat, vt ſpadoni caſtrato, interdicens concione. Multorum verò Deorum aſſertorem, vt è ſcorto natum, vetans pro concione, vel audire quicquam, vel dicere. Deum enim negans, ſterilis eſt. Multos verò Deos aſſerens, è ſcorto natus, circa verum parentem cæcutiens; ideò multos pro vno genitores ſibi adoptans.] Explicatiùs quoque, in eandem ſententiam diſſerit lib. de victimas offerent vbi nonnullis de legis Iudaicæ ſanctitate præmiſſis, addit. Omnes indignos, à ſacro cœtu, edicto prohibuit, exorſus à ſemiuiris obſcœno morbo laborantibus; qui naturæ monetam adulterantes, in impudicarum mulierum affectum & formam, ſpontè degenerant Spadones item & caſtratos arcet, quod vt florem ætatis ſeruarent diutiùs, è maſculino ſexu tranſcribi ſe paſſi ſunt in fœmineam ſpeciem. Pariter repellit non tantùm ſcorta, ſed & natos è proſtitutis, contactos materno dedecore, propter natales adulterinos. Qui locus ſi quis alius, allegoriam recipit plenam con-

Digitized by Google

templatione philoſophica. Impiorum enim & ſceleſtorum non vnum genus eſt, ſed multa & varia. Quidam enim incorporeas Idæas, nomen inane aiunt, reì veræ nullius, tollúntque è rebus eſſentiam ſummè neceſſariam, quæ eſt archetypum exemplar omnium quæ ſpecificantur & dimetiuntur qualitatibus. Hos ſacræ legis tabulæ *ſpadones* nominant. Quod enim conuulſum eſt, priuatur qualitate atque ſpecie, fitque nihil aliud, quàm (vt propriè loquar,) informis materia. Eodem modo opinio quæ tollit ideas, confundit omnia, & ſuper veterem illam informitatem quæ ante digeſta in ordinem elementa fuerat; addunt ſcenica deliria: quo quid ineptius cogitari poteſt, aut abſurdius? Nam ex materia creauit Deus omnia, licet eam non attigerit: nec enim fas erat, rudem indigeſtámque contrectari ab illo beato ac omniſcio: ſed incorporeis potentijs, quarum verum nomen eſt, *Idearum*, vſus fuit ad aptè formãda ſingula genera. At iſta opinio, valdè perturbat omnem rerum ordinem. Sublatis enim ideis vnde qualitates ſunt, qualitates ipſas tollit pariter. Alij verò quaſi contendant hos in impietatis ſtudio poſt ſe relinquere, addunt amplius, vt non ſolùm ideas, ſed & Deum eſſe negent per ſummam impudentiam; quaſi conducat vitæ, vel falsò credi præſentiam inſpectantis cuncta numinis; miſeri & ſteriles ſapientiæ, impietati malo maximo deuoti ac dediti.] Subiicit comparationem nati de ſcorto, cum idololatra, quæ non eſt huius loci.

4. Clemens Alexandrinus in Protreptico, videtur ex Philone profeciſſe. De Atheis enim prælocutus, ſubdit. [Extrema itaque ignorantiæ ſunt, impietas & ſuperſtitio; extra quæ ſtudendum eſt manere. Non vides, Moyſem ſacrum veritatis interpretem, iubentem vt Eunuchus, & cui exſecta ſunt virilia, non ingrediatur Eccleſiam; & præterea is qui natus eſt ex meretrice? Significat quidem per priores, mores impios, diuina virtute, & genitali priuatos. Per reliquum autem tertium, eum qui pro vno ſolo qui Deus eſt, multos falſo numine Deos ſibi adſcribit. Sicut is qui natus eſt è meretrice, multos ſibi adſcribit patres, propter veri patris ignorationem.] Illud, *diuina virtute & genitali priuatos*, non eſt accipiendum de defectu virtutis ge-

Digitized by Google

nitiuæ intrinſecæ homini; quæ eſt verò virtus genitalis; interdum dicitur *diuina* quia homo generando, æmulatur Deum genitorem omnium, vnde homo pater, Deus ſecundarius, vocatur à Philone lib. de Decal. In eiuſmodi virtutem, homini natiuam, non cadit illud Clementis verbum. Accipiendum ergò eſt de vi genitali extrinſeca homini, effectrice omnium; quæ eſt ipſe Deus, cuius virtutis genitalis abnegatio, conſtituit impietatem, ibi à Clemente deſcriptam. Idem lib. 3. Strom. c. 8. tractans illud Eſaiæ c. 56. *Nec dicat Eunuchus, ego lignum aridum*, negat ſolum Eunuchi ſabathum Sanctificare, ſed exigi inſuper ait, obſeruantiam mandatorum cui certè non inſiſtunt qui liberos gignunt ad execrationem. Et eiuſmodi ait Clemens, eos eſſe qui hæreſes proſeminant. Eiuſmodi quoque eſſe docet, eos qui ſunt veritatis ligna arida, qui non progignunt Deo ſobolem electam de qua Paulus aiebat, *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Et *in Chriſto IESV, per Euangelium ego vos genui:* Qui eiuſmodi liberos non procreat, Eunuchus eſt illaudatus, & verè lignum aridum. [ Propterea non ingredietur Eunuchus in Eccleſiam Dei, qui eſt ſterilis & non fert fructum, nec vitæ inſtitutione, nec ſermone. Sed qui ſe quidem caſtrarunt ab omni peccato propter regnum cœlorum, ij ſunt beati qui à mundo jeiunant. ] Ita Clemens, aduerſus Iulium Caſſianum diſſerens. Is enim libro de Continentia & caſtitate exſcindens corpoream ex coniugio procreationem, argumentabatur ex laudato per Prophetam Eunuchiſmo, & collato cum arbore frugifera. Clemens è contrario, ſalua honeſtate carnalis procreationis legitimæ, auctiore perfectione continentiæ ex Dei cultu ſuſceptæ, eum duntaxat Eunuchiſmum improbat, qui eſt ſterilis myſticè, nec procreat Deo ſobolem benedictam.

5. Theodoretus q. 25. in Deutero. *Eunuchum* interpretatur, infœcundum ſanctorum operum. [ Propter quod (inquit,) eum cui contrita ſunt aut exciſa virilia, arcet ab ingreſſu Eccleſiæ? Sterilitas animæ per hæc denotatur. Alienum enim eſt à Deo, fructus bonorum operum non producere. Alioqui non ſolùm in hominum genere, ſed & in pecoribus, tale quidpiam admitti prohibet; propterea quod ad multiplicationem generis procreat-

procreatæ ſint partes genitales. Verùm ſicuti ſterilitatem interdicit, ita fructum malum repellit. Non enim ingredietur ex meretrice natus in Eccleſiam Dei.] Hanc ſterilitatem, etiam in ſimplicibus quibuſuis, alios docere non valentibus, auerſabatur Dominus, (iuxta Radulphum lib. 15. in Leuit. cap. 5.) cum vetabat offerri ſibi quicquam Eunuchinum; non in hominibus tantùm, ſed etiam in pecoribus. Sic verò eam infœcunditatem exponit Radulphus. [Eſt etiam in vno homine, quodammodò coniugalis copula; dum ratio, mariti perſonam tenet, voluntas verò vices vxoris exercet. Maritus autem iſte, quaſi fontem ſeminis geſtat, ſi memor diuinorum eloquiorum, ſeruat apud ſe, vnde voluntatem grauidam reddat, & deſiderium ſibi bonæ operationis infundat. Hæc eſt namque fœcunditas filiorum, ſi voluntas ab benè operandum inflexa, in fructus prorumpat iuſtitiæ; pariens filios ex quibus ſecundam videat generationem æternam ſcilicet, percipiens in regno Dei retributionem, ſicut ſcriptum eſt; *Et videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſraël.* Homo igitur qui verbi diuini memoriam perdidit, Eunuchus eſt amputatis teſticulis; quia non habet vnde mentem ſuam grauidam reddat; non habet vnde alijs rectè agendi affectum inijciat. Contritos verò vel tonſos, id eſt læſos teſticulos habet qui memoriam quidem verbi Dei poſſidet, ſed inefficacem: dum graue iudicans quod præceptum eſt, vt ſurgere audeat, timore conteritur: aut dum vitiorum paſſionibus languet, nec ſurgere mens ægra conatur. Huiuſmodi ergò animal, idoneum non eſt ad diuinam oblationem, cum nullius boni operis habere ſtudeat fœcunditatem.]

6. Beda in cap. 23. Deutero. [Quod dicit, *non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Dei,* oſtendit quod omnes qui molliter viuunt, nec exercent opus virile, non poſſunt permanere in numero ſanctorum, ſiue congregatione.] Eadem Rabanus hìc, tacito (de Rabani more) Beda, quem exſcripſit.

7. Rupertus lib. 1. in Deuter. cap. 22. conferens locum Iſaiæ cap. 56. vbi veri Eunuchi ſpiritales laudantur, cum loco ex cap. 23. Deuter. vbi Eunuchi repelluntur ab Eccleſia Dei, præ-



Digitized by Google

ſatur, Eunuchos ab Iſaia commendatos, eſſe eos qui non ferro exſecti, vel à natura mutili ſunt, ſed qui profeſſione caſtitatis ſe abſciderunt; eos verò qui repelluntur ab Eccleſia, ſic exponit. [Quærendum eſt, qualis ſit ille Eunuchus qui non ingreditur Eccleſiam Domini. Quærentibus hoc, illud quoque ſeſe offert, quod alibi dictum eſt; *Maledictus omnis qui non facit ſemen in Iſraël.* Neutrum quippè ſine altero rectè intelligi poteſt; quia videlicet, verba quidem diuerſa, ſenſus tamen idem eſt. Igitur Eunuchus qui non ingreditur Eccleſiam Domini, & non faciens ſemen in Iſraël; ille eſt, qui cum poſſit verbo ædificare proximum, mutus incedit: vel cum bona & vtilia nouerit, otioſa magis & vana diligit. Hic illi oppoſitus eſt, qui ſe caſtrauit propter regnum cœlorum: quia videlicet, quantum ille laudabilis eſt, eo quod facultatem habens naturalem ſeminandi filios carnis, continens eſt propter regnum cœlorum; (ſcilicet vt vacare poſſit orationi, & iuxta Apoſtolicum conſilium, tantùm ſollicitus ſit quæ ſunt Domini:) Tantùm hìc deteſtabilis eſt, eo quod commiſſum habens talentum verbi Dei, quo ad ædificationem multorum benè poſſit operari, & vtiliter negotiari, vacat otio, & acceptam indignè gratiam negligit.]

8. Radulphus Flauiacenſis in cap. 22. Leuit. excutit primùm apparens diſſidium inter Iſaiam laudantem Eunuchos, & Moyſem eos ab Eccleſia Dei arcentem: quinetiam omne pecus quomodolibet eunuchizatum, offerri Domino prohibentem; ac etiam interdicentem omninò cuiuſuis animalis caſtratione, in terra populi Dei. Oſtendit autem, Iſaiam loqui de profitentibus continentiam. Moſis verò intentum, ſic aperit. [Notum eſt, Eunuchos generare non poſſe. Generatio verò Deo acceptiſſima, illa eſt, de qua dicit Apoſtolus, *In Chriſto IESV per Euangelium ego vos genui.* In hac itaque generatione, ſemen eſt verbum Dei: cuius ſeminis miniſtri, niſi trahantur prolis deſiderio, niſi ſpirituali amore ſucceenſi lucrandis animabus inſudent, ſpadones vtique ſunt, ſterilitatis ſuæ rationem Domino reddituri; audituríque quod audiuit malus ille ſeruus & piger. *Auferte ab eo talentum, & proijcite eum in tenbras exteriores: Ibi erit fletus & ſtridor dentium;* De huiuſmodi ſpadonibus, loquitur

Digitized by Google

filius Sirach, *Concupiſcentia* ( inquiens, ) *ſpadonis, deuirginauit iuuenculam: ita & qui facit per vim, iudicium iniuſtum.* Spado namque Virginem opprimens, non prolem quærit, quam ſcit ſe gignere non poſſe; ſed ſuæ libidini ſeruit, & virginem quam fœcundare non poteſt, poteſt tamen violare. Et doctor iracundus, qui nullo ducitur filiorum affectu, cum erga aliquem furore ſuccenditur, immoderatè vindicat, quicquid eſt illud, vnde offenditur. Non igitur fructum quærit, ſed ſuæ iracundiæ ſatisfacit; nec corrigere ſtudet, ſed punire. Vnde & innocentium mentes corrumpit, quia ad ſuum odium illas accendit. Spadones ergò iſti, Dei non intrant Eccleſiam, quià diuino iudicio, intra fidelium numerum non currunt, quibus cum prodeſſe poſſunt, prodeſſe contemnunt. Notandum autem quod dicitur, *Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis.* In teſticulis namque, generandi affectio diſignatur. Hæc nonnumquam, licet adſit, atteritur; cum Doctor ad prædicandum ſpirituali deſiderio trahitur: ſed ne prædicare præſumat, alicuius potentis terrore comprimitur. Voce autem veritatis, non paſtor ſed mercenarius nominatur, qui videt lupum venientem & fugit; videlicet humano timore perterritus, cum loqui debeat, ſub ſilentio ſe abſcondit. Nonnullis verò omnem alieni profectus concupiſcentiam, negligentia ſubtrahit; dum ſine charitate frigidi, de aliena vtilitate non cogitant; aut etiam inuidia abſcindit, dum humanæ laudis cupidi, ſoli ſapientes vel religioſi videri appetunt, & alios imitatores habere refugiunt. Hi igitur amputatos, illi verò attritos teſticulos habent. ]

# FINIS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
397837

Digitized by Google

# OPERIS INDICVLVS.

A*Rgumentum.* *fol.* 1.

*Proluſio.* Eunuchi, Spadonis, Execti, Ectomiæ, Caſtrati, Thlibiæ, Thlaſiæ, Euirati, *vocabula enucleata.* *fol.* 2.

CAPVT I.

*Chriſti de Eunuchis oraculum* Matth. 19. v. 12. *ad literam expenditur.* *fol.* 11.

CAPVT II.

*Eunuchiſmus triplex à Chriſto recenſitus* Matth. 19. *typo expoſitus.* *f.* 23.

§. I. *Eunuchi ſic nati.* *fol.* 23.

§. II. *Eunuchi, facti ab hominibus.* *fol.* 27.

§. III. *Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* *f.* 31.

CAPVT III.

*Eunuchiſmi natiui bona & mala naturalia, factitio ferè communia.* *f.* 41.

§. I. *Animæ & corporis commoda & incommoda ab Eunuchiſmo.* *fol.* 42.

§. II. *Mala animæ, & corporis ab Eunuchiſmo.* *fol.* 50.

CAPVT IIII.

*De Eunuchiſmi factitij bonitate, atque malitia, vniuersè.* *fol.* 69.

§. I. *Quæ factitia Eunuchizatio poſſit labe morali vacare, & honeſta haberi.* *fol.* 69.

§. II. *Omnem alium Eunuchiſmum factitium, deteſtatione dignum eſſe, vniuersè primùm monſtratur ratione.* *fol.* 80.

§. III. *Ius naturæ contra exſectionem, inſculptum ſenſui omnium gentium, vbi ſtetit humanitas, & non obruruerunt.* *fol.* 95.

§. IIII. *Iura ciuilia contra exectionem.* *fol.* 102.

§ V. *Ius diuinum poſitiuum, Eunuchizationem proſcribens.* *f.* 111.

§. VI. *Iura Eccleſiaſtica contra exectionem.* *fol.* 113.

§. VII. *Patrum ſuffragium.* *fol.* 118.

Digitized by Google

## CAPVT V.

*Sigillatim de malitia Eunuchiſmi, vltrò ſuſcepti in varijs euentibus, extra Medicinæ neceſsitatem.* *fol.* 121.

§. I. *Fœditas explorata Eunuchizationis factitiæ, ad ſacrilegam ſpecie religionis obſeruantiam.* *fol.* 122.

§. II. *Turpitudo exectionis, ad continentiæ indemnitatem.* *fol.* 133.

§. III. *Improbata exſectio, ad amouendam ſuſpicionem.* *fol.* 150.

§. IIII. *Damnata exſectio, ſpe promotionis in aula.* *fol.* 152.

§ V. *De exſectione ob diuturnioris vocis acumen, ad Muſicos concentus neceſſarium.* *fol.* 162.

## CAPVT VI.

*De Morali bonitate, & malitia Eunuchiſmi ſpiritualis.* *fol.* 172.

§. I. *De Eunuchiſmo myſtico, ſancto, & probato.* *fol.* 172.

§. II. *Eunuchiſmus myſticus, illaudatus & reprobus.* *fol.* 187.

§. III. *Eunuchiſmus myſticus analogicus, reprobus, & illaudatus.* *fol.* 196.

---

*Regiſtre & ordre des Cayers & Signatures contenuës en ce liure,* Eunuchi, nati, facti, myſtici, *chaque Cayer de quatre feüillets qui ſont.*

a, A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Aa, Bb, Cc.

Digitized by Google

# APPROBATIONES.

EXimium humani generis vindicem legimus, in quo nihil quod ſit contrarium orthodoxæ fidei, & bonis moribus diſſentaneum reperimus, imo dignum ſanè meo iudicio qui Typis mandetur, poteritque in bonum reipublicæ, tum politicæ, cùm Chriſtianæ plurimùm prodeſſe. Huic titulus eſt: *Eunuchi, nati, facti, myſtici, &c.* Datum Diuione 2. Aprilis 1655. F. PHILIBERTVS PETROT, Minor, Facultatis Pariſienſis, in Theologia Doctor.

LIbrum cui titulus eſt: *Eunuchus natus, factus, & myſticus, ex ſacra & humana litteratura illuſtratus, à D.* I. HERIBERTO *Camelienſi Compoſitum*, examinaui, nihilque fidei, ſacræ ſcripturæ, nec ſanctionibus Canonicis repugnans in eo reperi, in vtilitatem igitur plurimorum lucem videre poteſt. Actum Lugduni die decima tertia Aprilis 1655. Fr. STEPHANVS MOVLIN Carmelita, Doctor Pariſienſis.

Digitized by Google

# EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre; A nos amés & feaux les gens tenans nos Cours de Parlement, Preuoſts, Baillifs, Seneſchaux ou leurs Lieutenans, & autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra. Salut: Noſtre bien-amé PHILIBERT CHAVANCE, Marchand Libraire en noſtre bonne Ville de Dijon, Nous a fait remonſtrer qu'il auoit Imprimé vn Liure, intitulé; *Eunuchi, nati, facti, myſtici, ex ſacra & humana literatura illuſtrati. Zacharias Paſqualigus. puerorum emaſculator, ob muſicam quo loco habendus.* Mais d'autant qu'il craint que quelques Libraires, ou Imprimeurs le voulussent mettre ſous la preſſe, ce qui luy cauſeroit grande perte. Il nous a tres humblement ſupplié luy octroyer ſurce nos Lettres neceſſaires, A ces cauſes, deſirans bien & fauorablement traicter l'Expoſant, & luy donner moyen de retirer quelque fruict de ſon labeur. Nous luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes, d'Imprimer ou faire Imprimer ledit Liure en telle marge & Caractere que bon luy ſemblera, iceluy mettre & expoſer en vente durant le temps de neuf ans, à commancer du iour qu'il ſera acheué d'Imprimer. Faiſant tres-expreſſes inhibitions & deffenſes à tous Libraires, Imprimeurs ou autres perſonnes de quelques qualitez & conditions qu'ils ſoiét, de l'Imprimer ou faire Imprimer ny mettre en vente led. Liure durát led. temps, ſans le cóſentement & permiſſion dudit expoſant, ou de ceux qui auront droict de luy, à peine de mil liures d'amende, confiſcation des Exemplaires & de tous deſpens dommages & intereſts, à la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre Bibliotheque & vn en celle de noſtre tres cher feal le ſieur MOLE', Cheualier Garde des Sceaux de France. Et faire regiſtrer les preſentes ſur le Regiſtre de la Cómunauté des Marchands Libraires de noſtre Ville de Paris, ſuiuant l'Arreſt du Parlement du 9. Auril 1653. auant que de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes. SI VOVS MANDONS que du contenu en ces preſentes vous faſſiez, ſouffriez & laiſſiés ledit expoſant, iouïr & vſer plainement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire; Mandons en outre au premier Huiſſier ou Sergent faire pour l'executió des preſentes tous Exploits requis & neceſſaires, ſans demander autre congé ny pareatis, qu'en mettant au cómancement ou à la fin dudit Liure l'Extraict des preſentes elles ſoient tenuës, pour deuëment ſignifiées; & qu'à la colllation d'icelles faites par l'vn de nos amés & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit adjouſtée comme à l'original, CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Paris le cinquieſme iour de May l'an de grace mil ſix cens cinquante-cinq, & de noſtre regne le treiziéme.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL,

*CRAMOISY.*

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté le 29. May 1655 conformement à l'Arreſt du Parlement du 9. Auril 1653. BALLARD, Scindic.

*Acheué d'Imprimer pour la premiere fois, le 8. Iuin 1655.*

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Digitized by Google

## *Menda nonnulla ſic emenda.*

PAg. 1. lege fœdum. Ibidem l. quæ tametſi. pag. 2. l. vocum notiones. pag. 3. l. vocis ſubſtratio. p. 5. l. fert patienter. p. 6. l. qua idem. Ibidem *neurοϭάſtai* pag. 7. l. de huius p 8. l. eum Arnobij. Ibidem. l Herodoti. p. 12. l. vt ei. ibidem l. At certum. p. 16. præuio *adde* motui, ibid. l. quia tacti. p. 21 l. vi alterius, ibid. l natura. ibid. l. implorarint conſeruarint, p. 22. l. qua aliqui. p. 23. l. quam ſymbolo, p. 32. l. meliorem. p. 35. l. Menardo, p. 37. l. Concordiæ, p. 39. l. tales, ibid. l. qui trahat, p. 40. l. Correpr. p. 41. l. auteloq. ibid. l. vouerit. p. 42. l. eſt enim, p. 43. l. affixus. p. 44 l. zonaras. p. 46. l legibus & orat. p. 48. eam verò, ibid. l. inferens, ibid. l. flagrans, p. 49. l. reiectum, ibid l. *Aleptem.* ibid. l. videtur, p. 50. l. alias V. p. 51. l probati, p. 53. l. *Iudicat.* ibid. l. etenim ibid. l. Ingenia, p 55. l. crudelitatem, p. 56 l. aphraate, ibid. l. exciſi, p. 58 l. vittas, p. 56. l. obſiſteret, ibid l. Chryſaphius, p. 60. ( ſic enim, *adde*, nominant, ibidem. l. feroci, p. 62 l. nimis, p. 69 l. Iuſta. pag. 71. l. prado, ibidem l. hermotimum, p. 73. l. Rithnometus, p. 74. quæ non niſi circa, ibid. l. à Diogene. p. 78. l. exitij eidem. p 79 l. eſt ciuis, p. 80. l. non potes pag. 82. l. qui ſe illis, ibidem. *dele* quotidie, ibid. l. hanc Dei & aliter vrget. ibid. l. quod ipſe, p. 87. l. confirmatque, p. 88. l. elogiis, p. 98 l. idem nobis, ibid. l. prorogationem, p. 99. l. gibbo, p. 101. l. Miſcell. ibid. l. Neap. ibid. l. fœdam, p. 102 l. ne famulos quidem, ibid. l. ob ea. ibid. l. turpi vſui, ibidem l. nec quis ſe. ibid. ff. ad l. p. 103. l. lælius. p. 104. l. cui titulus. ibid. l. pulchra diis, p. 106. l. In eos qui. p. 107. l mandando, p. 108 l. eſt contra, p. 109. l. vt reſtis, p. 113. l. vi aliena & *adde* Inuito. p. 114. l. ne ab amica, ibid. l. deterſurum, p. 117. l. Eccleſiæ, p. 118. l. qui operis, p. 119. l. conſertæ, p. 122 l. illuuiei ad miſeros, *dele*, & p. 123. l. aliam viam, p. 125. l. mollita, ibid. tympana, ibid. molles, ibid. vnde, p. 126. l. Auguſt. eo cap. p. 130 l. Sacerdotum, p. 134. l. nam quos, p. 135 l. ita Origen. p. 138. l. *abſcindantur*, p. 140. l. facienda, p. 148. l amica quondã, p. 151. l. ſpecioſiſſimus, p. 152. l. ſatellitium, p. 156. l eſt extra dubium, ibid. meretricularum, p. 160. l. alij verò, ibid. l. Gregorius, p. 161. l. vmbram. p. 166. l. per fragilitatem, p. 173. l. adiutus ab alio, p. 174. l. *nubere*, p 177. l. humanæ, p. 178. l. reperiantur, p. 180. l. *ſcintillam*, p. 191. l. & ſi millies, p. 193. l. mentis eſſet. p. 195. l. tract. 2. c. 2. p. 196. poſt præfixum, *adde*, Eunuchus myſticus hiſtrionum & ſcenicorum, p. 197. l. *duobus*, p. 198. l. ſacro, p. 200. l. *vobis*, p. 201. l. fœcunditatem, p. 202. l. prohibentem.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google